This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

4848
11

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

Digitized by Google

AH 4848.11

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 6 April, 1901

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUAESTIONUM DE RE VESTIARIA GRAECORUM SPECIMEN.

DISSERTATIO ARCHAEOLOGICA
QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT ORDINIQUE PHILOSOPHORUM IN UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI AMPLISSIMO TRADIDIT

IOANNES BOEHLAU
BORUSSUS.

WIMARIAE
FORMIS BOEHLAVIANIS
MDCCCLXXXIV.

Digitized by Google

~~FA1315.3~~

AH4848.11



Constantine fund

Digitized by Google

GUSTAVO KOERTE

S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Aratrum novans desiderare rem vestiariam Graecorum, quae saepius sane ac strenue at haud prospere tamen adhuc tractata est, quis est qui neget? Quamquam non stetit penes viros illos doctos, qui a Salmasio, Ferrario, Rubenio usque ad Boettigerum et Muellerum de vestimentis Graecorum egere, quin munus susceptum omnibus numeris praestarent. Quid enim, is qui versantibus in hisce quaestionibus unus fluit et continuus et satis largus ubique et satis limpidus fons, illis aut omnino non apertus erat aut parcam tantum et turbidam aquam misit: nempe vasum fictilium Atticorum ingens copia, quae una serie a sexto a. C. n. saeculo exeunte usque ad quarti finem decurrunt. Quibus qui carebant, prorsus abstinere coacti erant ea quaestione, quae et una latius patet, et de qua mire quam multa pendent, dico historiam vestitus examinandam. Nam ea quae in enchiridiis nostris tractantur, quem hercle iuvant praeter antiquitatis studiosos? At hoc interest artis intelligentium, interest historicorum, interest eruditiorum omnium, diversas nempe in singulis aetatibus vestitus rationes cognoscere, videre quo fiant modo mutationes, causas earum intelligere.

Ac neglectae mutationes vestitus magnam partem eius operae, quam viri docti in re vestiaria illustranda collocaverunt, irritam fecerunt. Nam inutile est neque quicquam valet delineare typum generalem vestitus ab Homeri aetate ad lexicographorum usque, si dis placet, tempora a Graecis gestati, cum iam ante quinti saeculi finem ter qua-

Digitized by Google

terque haud leviter eum immutatum esse vascula doceant. An putas operae pretium facturum esse eum, qui e. gr. Germanorum inde a sexto decimo saeculo vestitus tam varios uno typo comprehenderet? Quidni? nunquam cessavere braccas, camisia, vestes superiores gestare, sic ut Graeci nunquam a periblematis et endymatis recessisse videntur.

Atque quomodo non solum inutilis sit illa ratio, sed etiam nocere possit, in nominibus vestium constituendis apparet, qua in re quam parum profecerint viri docti, notum est. Quippe si monumentis vel obiter perlustratis tibi persuaseris vestitum diversis temporibus diversum fuisse, concedas necesse est, unicam ad nomina vestimentorum certo invenienda viam eam esse, ut nulla alia testimonia coniungas, nisi quae eiusdem aetatis sint, h. e. ne aliis atque aequalibus monumentis adhibitis scriptoris cuiusdam locum interpreteris, neve vice versa ex aliis atque aequalibus scriptoribus nomen quaeras vestimento in monumentis occurrenti, neve denique ad scriptores Atticos interpretandos promiscue utaris eis Romanae vel Byzantinae aetatis. Quo principali canone vili habito cum alias haud semel a vero aberravere viri docti, tum in vitium omnium funestissimum inciderunt. Nam cum e scriptorum antiquorum locis plerumque nil certi effici posse videretur — qui revera saepius monumentis illustrari debent —, illi interpretatione locorum non semel magis quam par erat neglecta ad lexicographos et scholiastas confugere, qui unam quamque vocem commode explicarent. Sed horum praecepta, si quid novi continent nec forte redeunt ad fontem integrioris fidei — Alexandrinum nempe — semper futilia sunt, ipsissimam enim istorum magistellorum doctrinam continent, haustam eam e scriptorum antiquorum interpretatione non modo pro ingenio eorum sat sordida sed confusa simul adhibito vestitu illius aetatis toto caelo abhorrenti ab eo quinti quartive saeculi. Exempla si requiris, admoneo te crobyli denuo ut ita dicam a Conzeio et Theodoro Schreiber reperti, legere te iubeo ea quae infra de dorico chitone dicturus sum. De quo cum Duridem, Eustathium, Clementem audire mallent quam Herodotum et vascula, et ceteri titubaverunt et Bluemnerus impeditus est, quominus multa adhuc dubia solveret, qui primus historiae vestitus aliquam rationem habet.

Digitized by Google

Haec omnia non ideo exponebam, ac si nova docere vellem. Iam dudum enim non solum ostenderunt viam modo delineatam sed etiam firmo pede ea praeivere viri egregii Conze et Helbig. Quorum vestigia secutus ipse quid in re vestiaria Attica sic tractanda effici possit, experiar, illa praefatus ut rectam viam me nosse saltem scias. —

Et primum quidem voces quasdam difficiliores explicare conabor, dein vestitus muliebris Atticorum usque ad Pericleam aetatem historiam extremis lineamentis describam. Muliebris: nam cum satis largam ad rationes vestitus intelligendas materiem ille praeberet, eo me continebam. Sed licet arctiores mihi descripserim fines, tamen satis magnus relictus est campus et immensior certe multo, quam quem nunc totum funditus perarare potuerim. Ut si hunc illum sulcum recte duxisse dicar, satis contentum me fore profitear.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS PRIOR.

I.

Athenienses duplicasse mulierum praesertim himatia et chitones, et quae fuerit duplicationis ratio, sat notum est. Neque hoc unquam cuiquam dubium erat, quin ad duplicata haec vestimenta referendae essent voces *διπλοΐς*, *διπλοίδιον*, *ἡμιδιπλοίδιον*. Quodnam autem singulae vestimentum significent, de hac re vel hodie aliquanta est dissensio.

Quamquam docent consentientes inter se grammatici veteres *διπλοΐδας* esse himatia duplicia ut *ἁπλοΐδας*[1] simplicia. Et quis est, quin noverit *χλαίνας ἁπλοΐδας* Homeri (*Ω* v. 230, *ω* v. 276), qui ignoret Cynicorum *διπλοειμάτων* duplicem tribonem, qui Anthol. Palat. VII. 65 v. 3 *διπλοΐς* vocatur? Nusquam sane expressis traditur etiam mulierum himatia duplicata illa voce designata esse, quin Pollux (onom. VII. 47)

[1] De *ἁπλοΐς* conferas Poll. onom. VII. 47. Etym. Magn. p. 123. 14., de *διπλοΐς*: Etym. Magn. p. 278. 48, Hesych. s. v., Anecd. Bekk. I. p. 425. 11, Suid. s. v. Ceterum Atticos, ut „*ἡμιδιπλοίδιον*" eos dixisse, Aristophanis versus probat (v. p. 2), „*διπλοΐδα*" ex Hesychii nota „*διπλοΐδα* (sic correxit Piersonus, scriptum est *διπλόϊδα*) *διπλοΐδα*" Piersonus evicit (Moeris Attic. p. 275. 276), — unde et in Polluc VII. 49 *διπλοίδιον* Bekkerus edidit —, sic omnino a voce *διπλοΐς* et *ἁπλοΐς* ob diaeresin abhorruisse, e lexicorum notis effici puto. Audias Pollucem VII. 47. *εἰσὶ δὲ χλαῖναι αἱ μὲν ἁπλοΐδες, ὡς Ὅμηρος »δώδεκα δ' ἁπλοΐδας«, αἱ δὲ διπλαῖ, »διπλῆν ἑκταδίην« ταύτας δὲ οἱ Ἀττικοὶ ἁπληγίδας καὶ διπληγίδας καὶ διβόλους ὠνόμαζον.* Quibuscum conferas Etym. Magn. p. 123. 14 *ἁπληγὶς τὸ ἁπλοῦν ἱμάτιον, ὅπερ Ὅμηρος ἁπλοΐδα καλεῖ. Σοφοκλῆς »τρύχει καλυφθεὶς Θεσσαλικῆς ἁπληγίδος«.* Moeris nec *διπλοΐς* nec *διπληγίς* habet, s. v. *ἁπληγίς* autem (p. 87 ed. Pierson.) dicit *ἁπληγὶς ἀττικῶς, ἁπλοῦν ἱμάτιον ἑλληνικῶς* nulla *διπλοΐς* vocis mentione facta. Dein in Anecd. Bekk. I. p. 425. 20 et apud Suidam s. v. ut *ἁπληγίς* loco Anagyri Aristophaneae illustratur, ita ad *διπλοΐς* vocem illic nihil, hic Agathiae epigramma quoddam adlegatur (cfr. Lehrs. *Pathol.* II p. 19).

Digitized by Google

χλαίνας ἁπληγίδας et διπληγίδας inter vestes virorum proprias recenset. Sed hunc errare artis monumenta evincunt; in Agathiae autem epigrammate (Anthol. Palat. V. 294 v. 4) ἁπλοΐς, et in schol. ad Theocr. Adoniaz. v. 34 διπλοΐς de mulieris himatio usurpatur.

At nonne cogitari possit, ut χιτών, ζώνη virorum, χιτώνιον, ζώνιον mulierum sunt — ex lexicographorum quidem praeceptis[1] — sic διπλοΐς vocem virorum tantum himatia significasse, de mulierum vero himatiis deminutivam formam, sc. διπλοίδιον adhibitam esse?

Quod ut falsum esse demonstrem, non utar Theocriteo scholio modo allato; integriorem fontem adeam, qui simul unicus est, e quo de diploidio certa quaedam haurire possimus: Ecclesiazusarum Aristophaneae alteram scaenam dico, in qua (v. 318 Bergk.) ἡμιδιπλοίδιον commemoratur. E Pollucis enim verbis, qui (VII. 49) inter vestimenta ἴδια γυναικῶν refert: ἐπωμίς, διπλοίδιον, ἡμιδιπλοίδιον, κατάστικτος κτλ. nil effici potest.

Atque locum Aristophaneum, cum haud paucis difficultatibus impeditus sit, totum apponam. v. 311 Blepyrus, cuius uxor Praxagora mane clam excesserat mariti himatio et calceis induta — ἐκκλησιάσουσα nempe — prodit, questus de fuga uxoris. Tum pergit:

(v. 313)

ἐγὼ δὲ κατάκειμαι πάλαι χεζητιῶν
τὰς ἐμβάδας ζητῶν λαβεῖν ἐν τῷ σκότῳ
καὶ ϑοἰμάτιον· ὅτε δὴ δ' ἐκεῖνο ψηλαφῶν
οὐκ ἐδυνάμην εὑρεῖν, ὁ δ'ἤδη τὴν ϑύραν
ἐπεῖχε κρούων ὁ κοπρεαῖος, λαμβάνω
τουτὶ τὸ τῆς γυναικὸς ἡμιδιπλοίδιον
καὶ τὰς ἐκείνης Περσικὰς ὑφέλκομαι.

Fortasse nondum consedit, cum vicinus quidam prodit, qui Blepyro conspecto miratus exclamat:

(v. 328)

εἰπέ μοι,
τί τοῦτό σοι τὸ πυῤῥόν ἐστιν; οὔ τί που
Κινησίας σου κατατετίληκέν ποϑεν;

Respondet ille

(v. 331)

οὔκ, ἀλλὰ τῆς γυναικὸς ἐξελήλυϑα
τὸ κροκωτίδιον ἀμπισχόμενος, οὐνδύεται.

[1] De ζώνη / ζώνιον cfr. Ammon. de differ. adf. voc. s. v., Moeris. p. 169 Pierson., Thom. Mag. p. 167. 10. Ritschl., alios; de χιτών / χιτώνιον: Thomas Mag. p. 401. 4. Anecd. Bachmann. II p. 378, alia lexica s. v. s. v.

Digitized by Google

Tum vicinus:
(v. 333)

τὸ δ' ἱμάτιόν σου ποῦ 'στιν;

respondet Blepyrus:
(v. 333)

οὐκ ἔχω φράσαι,
ζητῶν γὰρ αὑτ' οὐχ εὗρον ἐν τοῖς στρώμασιν.

v. 372 Chremes ex ecclesia rediens prodit: Blepyrum miserrime laborantem (cfr. vv. 361 sq. 369 sq.) conspicit, appellat eum (v. 372) οὗτος, τί ποιεῖς; οὔ τί που χέζεις; dein miratus:
(v. 374)

τό τῆς γυναικὸς δ' ἀμπέχει χιτώνιον;

et astute Blepyrus:
(v. 375)

ἐν τῷ σκότῳ γὰρ τοῦτ' ἔτυχον ἔνδον λαβών.

Tum ille narrat, quam mira fuerit ecclesia, et quam singularia placuerint senatui populoque Atheniensium (usque ad vers. 476). Postquam exiere, chorus mulierum redit, parodum cantat, cum Praxagora pauca quaedam verba commutat (v. 478—519). Cui domum intranti maritus obviam venit acerbissimeque in eam invectus — pessimum enim quodque suspicatur, — quaerit, ubinam fuerit? Amicae parturienti sese subvenisse illa respondet. Tum Blepyrus:
(v. 535)

εἶτ' οὐ τὸ σαυτῆς ἱμάτιον ἐχρῆν σ' ἔχειν;
ἀλλ' ἔμ' ἀποδύσασ', ἐπιβαλοῦσα τοὔγκυκλον,
ᾤχου καταλιποῦσ' ὡσπερεὶ προκείμενον,
μόνον οὐ στεφανώσασ' οὐδ' ἐπιθεῖσα λήκυθον.

At non laborat sollers Praxagora de excusatione:
(v. 539)

ψῦχος γὰρ ἦν, ἐγὼ δε λεπτὴ κἀσθενής·
κτλ.

En omnia, quae ad diploidiorum formam cognoscendam fortuna nobis concessit.

Quae priusquam tractamus, e re esse videtur examinatis iis locis, in quibus encycli v. 536 commemorati mentio fit, confirmare id quod licet plerisque dudum probatum sit, tamen non omnibus satis constat, scilicet ἔγκυκλον esse himation quoddam. Quod verisimile redditur Thesm. v. 499 sq. in quibus describitur, quomodo mulier moechi e conclavi elabentis fugam eo texerit, ut viro ὑπ' αὐγὰς ostenderit encyclum:

Digitized by Google

(v. 491)

ὡς ἡ γυνὴ δεικνῦσα τἀνδρὶ τοὔγκυκλον
ὑπ' αὐγὰς, οἷόν ἐστιν, ἐγκεκαλυμμένον
τὸν μοιχὸν ἐξέπεμψεν,

nam satis magna tantum veste expansa mulier id quod vult assequi potest. Plus valet ipse Ecclesiazusarum locus ob comparationem Blepyri encyclo tecti cum mortuo προκειμένῳ: neque enim chitone sed himatio mortui obteguntur.[1] Omnem autem dubitationem tollit Thesmophoriazusarum scaena nobilissima, in qua Euripides Mnesilochum, Agathonis poëtae vestibus muliebribus amicit, nempe crocotula (v. 253), quae strophio cingitur (v. 255), persona muliebri reticulo et mitra instructa (v. 257), encyclo (v. 261), calceis (v. 262). Atque utique assentiendum est Brunckio cum scholiasta manifestum esse contendenti κροκωτὸν hic endyma, ἔγκυκλον periblema esse. Himation enim vestitus muliebris integra pars est, h. e. mulierum foras prodeuntium, ita ut mirum esset, si Mnesilochus Thesmophoriis interfuturus sine eo dimissus esset. Praeterea et ἀποδύεται illud v. 636 ut himatio instructum illum nobis fingamus suadet et v. 889, ubi Euripides-Menelaus Mnesilochum-Helenam sic alloquitur:

τί δή συ θάσσεις τάσδε θυμβήρεις ἕδρας
φάρει καλυπτός, ὦ ξένη;

nam licet sit hic versus tragici parodia, tamen revera operto capite sederit ille necesse est: hanc vero ad rem himatio opus est. Denique postquam κεφαλὴν περίθετον sibi imposuit (v. 257 sq.), vixdum chitonem quendam superiorem induere poterat Mnesilochus. — Ceteri loci et Aristophanei — Lysistr. v. 113. 1162,[2] Thesm. sec. frgt. 6. v. 8

---

[1] Cfr. C. F. Hermann, *Lehrbuch der griech. Antiquitaeten* IV. *(Privatalterthuemer)* ed. Bluemner p. 364 n. 5.

[2] Scholiasta sane ex hoc loco non mediocre argumentum petit eius rei, quod recte ἔγκυκλον habeat pro himatio purpureo clavo circum saepto (ἔγκυκλον quia ἐγκυκλοῦται!); quippe διὰ τὴν τῶν τειχῶν περιβολὴν Pylum cum illa vesti comparatam esse vult. At esset frigida et Aristophane indigna haec comparatio: an una Pylus moenibus gloriabatur? Atque ipse poeta aperte indicavit tertium, quod dicunt, comparationis: V. 1162.

Λα. ἁμές γε λῶμες (sc. διαλλαγῆναι) αἴ τις ἁμιν τοὔγκυκλον
λῇ τοῦτ' ἀποδῶμεν.
Λυ. ποῖον, ὦ τάν;
Λα. τὰν Πύλον,
ἅσπερ πάλαι δεόμεσθα καὶ βλιμάττομες.

Ut ipse legatus Veneris diu denegatae avidus (v. v. 1148. 1157) Diallages in medio adstantis (cfr. v. 1114 sq.) mammas manibus contrectat, sic patria eius Pyli recuperandae cupidissima non semel manus ei intenderat. Uterque δεῖται καὶ

Digitized by Google

Meineke (F. C. G. II. p. 1079) — et titulorum — *C. I. A.* II. 754 v. 48, 758 B II. v. 31, v. 48, 763 I. v. 67 — et Aeliani unus — V. H. VII. 9 — nil probant. Itaque cum vel e voce ipsa nullum contra himation argumentum elici possit, iam pro certo habeamus, *ἔγκυκλον* himation esse.[1] Quo statuto ad *ἡμιδιπλοίδιον* revertamus.

Atque *ἡμιδιπλοίδιον* pro indumento habendum esse vincunt *οὐνδύεται* v. 352 *χιτώνιον* v. 374,[2] dein illud *τὸ δ' ἱμάτιόν σου ποῦ 'στιν;*

βλιμάττει : *τιτθίων* ille, *Πύλου* haec. Itaque ex comparatione vv. ss. nihil aliud efficeretur, nisi hoc, *ἔγκυκλον* pectora texisse. Sed docet me Koerte *ἔγκυκλον* hic omnino non vestem quandam significare, sed vertendum esse „*das Runde*". Legatus igitur ipsum Diallages sinum dicit, ut et Athenienses postea sibi poscunt muliebria (*τὸν Ἐχινοῦντα* v. 1169), anum (*Μηλιᾶ — κόλπον τὸν ὄπισθεν* ib.), femora (*Μεγαρικὰ σκέλη* v. 1170).

[1] Non contigit mihi in monumentis Aristophani et titulis illis aequalibus vestimentum invenire, quod encycli nomine designandum esse videatur. Quod eo magis mirum est, quia tam saepe illa vox apud Aristophanem occurrat et ita usurpetur, ut necesse sit fuerit *ἔγκυκλον* et solitum mulierum himation et tota specie mire quam distulerit a virorum periblematis. Cui unum accedit, quod e voce ipsa efficitur. Nam sine dubio forma rotunda erat: „*ἔγκυκλος*" enim „rotundus". Sic Lys. v. s. *ἔγκυκλον* sinum mulierum significare vidimus, sic Matro apud Athen. p. 137 b. *πλακοῦντα ἔγκυκλον* vocat, sic apud Ach. Tat. I. 11 legitur: *ἦν γὰρ χρόνος ὅτε τῆς πορφύρας ὁ κόσμος τοῖς ἀνθρώποις ἀπόρρητος ἦν. μικρὸς δὲ αὐτὴν ἐκάλυπτε κόχλος ἐγκύκλῳ μύχῳ.* Ac falsissime grammatici adiectivum a verbo derivantes — cum contra hoc ab illo originem ducat — explicant *ἔγκυκλον* id esse, quod *ἐγκυκλοῦται*, sc. clavo purpureo (Pollux VII. 53; Pausan. apud Eustath. ad Iliad. XIV. 178 p. 976. 12; Phot. s. v. *παράπηχυ;* Schol. in Aristoph. Thesm. v. 267; Suid. s. v.). — Ceterum vereor ne non nisi et diligentissima et peritissima simul manu varia et multa experiendo hanc *ἀπορίαν* solvere possis.

[2] *κροκωτίδιον* v. 332 adhibere nolebam, quia de huius vocis significatione falsa adhuc multis placere videntur. Sic apud Hermann-Bluemner, *Privatalterthuemer* legitur (p. 188. 189): „*Als Umschlagtuch wird uns besonders häufig ein Safrangewand* (*κροκωτός*) *genannt*". Fortasse fefellit Thesmoph. v. 250 (coll. v. 253) ubi *κροκωτὸς ἱμάτιον* dicitur et Eccles. v. 879 ubi legitur: *κροκωτὸν ἠμφιεσμένη*, *ἀμφιέννυμι* autem ut *ἀμπέχεσθαι* saepissime de periblematis adhibetur. Illo loco autem demonstrari potest *κροκωτόν* chitonem talarem circumque clausum esse. Talaris enim esse debet, quia Mnesilochus Thesmophoriis interfuturus talari chitone carere nequit. Et quod „*τὰ περὶ τὼ σκέλη κατασταλλειν*" Euripidem iubet, hoc minime brevitate crocotulae effectum est, ut visum est Hermann-Bluemner, *Privatalterthuemer* p. 189 et Goellio (Becker, *Charicles*[3] III. p. 223), sed levato cingulo (v. 255: *αἶρέ νυν στρόφιον· / ἰδού*): quod cum e more scaenae comicae nimie ille fecisset, nudantur ima crura (*σκέλη* dicit et non *μηρούς*). Et clausum chitonem *κροκωτόν* Mnesilochi esse, neque e. gr. diploïda, (cfr. p. 15. 16) hoc inde efficitur, quod Atticae mulieres non pro chitonibus diploïdibus utebantur (cfr. Excurs. II). Ac si hic Mnesilochus diploïda in ipso corpore gestasset, hac re certissime usus esset poeta, ita fortasse ut postea mulieres in genus Mnesilochi inquisituras *πτέρυγας* levantes fecisset. Praeterea et v. 254 et v. 1044 *ἐνδύειν* verbo de crocotula utitur, cur vero hoc vili pendetur,

Digitized by Google

v. 333: nam si vestis illa, quam gerit, ipsa quoque himation fuisset, dicendum erat: *τὸ σαυτοῦ ἱμάτιον* (cfr. v. 535). Vincunt: nam ut quibus ea refellas non habes, ita futilia sunt ea quae in contrariam partem proferri posse videantur. Quippe ferebatur pro praeiudicato — nec cuiquam dubitare de hac re in mentem venit — *ἡμιδιπλοίδιον, χιτώνιον, κροκωτίδιον* scaenae antecedentis idem vestimentum significare atque *ἔγκυκλον* v. 536. Cui praeclare convenire videbatur quod bis de illa vesti *ἀμπέχεσθαι* usurpatur (v. 332. v. 374), ceteroquin in periblematis semper adhibitum,[1] nec non vili pendebatur quod v. 374 pro *χιτώνιον* Ravennatis praebent *τριβώνιον* Paris. *B*, Monac. *N*, Florent. *Γ*. Quae iam grammaticum illum, ad quem recedunt ea quae lexicographi de hemidiploidio fabulantur[2], et nuper Franciscum Studniczka[3] (*Vermutungen zur griech. Kunstgeschichte.* Wien. 1884. p. 28) movisse videntur, ut hemidiploidion periblema muliebre esse iudicarent. — Sed vanae sunt quibus niti illi videntur causae.

Nam primum quidem ab omni ratione abhorret prae optimi codicis, Ravennatis, interpolatorum potius lectionem amplecti. Nam quod

---

cum prematur *ἠμφιεσμένη* illud Ecclesiazusarum? Quae cum ita sint *ἱμάτιον* hic de endymate usurpari statuendum est, ut Lys. v. 401, 479 *ἱματίδια* eadem vestimenta vocantur, quae v. 662 *ἐξωμίδες* audiunt. Et memineris iam Xenophontem *ἱμάτιον* vocem rarissimo de certo quodam himatio adhibere sed plerumque latiore significatione (cfr. Sturtz. *Lexic. Xenophont.* s. v.).

Hoc vero evicto *κροκωτὸν* chitonem talarem clausum circumque esse posse, quid impedit, quominus *κροκωτίδιον* chitonem breviorem clausum esse statuamus? Itaque iam Ecclesiaz. v. 879 *ἠμφιεσμένη* illud secuti ibi diploïda esse statuant — tamen supra chitone gestam — adlegentque scholion in Arist. Ly. v. 645: *αἱ ἀρχτευόμεναι δὲ τῇ θεῷ κροκωτὸν ἠμφιέννυντο* . . et mox . . . *κροκωτὸν ἱμάτιον φοροῦσαν*: non tangunt ea Thesmophoriazusarum loci interpretationem, itaque vel ex hac parte tuta est nostra de hemidiploidio sententia.

[1] Cfr. inprimis Aristoph. Av. v. 1567 sq.: *οὗτος! τί δρᾷς; ἐπ' ἀριστερ' οὕτως ἀμπέχει; | οὐ μεταβαλεῖς θοἰμάτιον ὦδ' ἐπὶ δεξιά;* praeterea Ve. v. 1150. Ly. v. 1150. Plu. v. 877. Plat. Phaedr. p. 87 B, Hippiam Erythr. apud Athen. p. 259 c. *ἁλουργὰς μὲν ἀμπεχόμενοι περιβολὰς καὶ χιτῶνας ἐνδεδυκότες περιπορφύρους* similiterque Heracl. Pontic. ib. p. 512 b. . . . *ἁλουργῆ μὲν γὰρ ἠμπίσχοντο ἱμάτια, ποικίλους δ' ὑπέδυνον χιτῶνας.*

[2] Unius doctrinam omnes praebere videbis locis ante oculos tibi propositis: Photius p. 260. Naber, quo fontem confessus (Ῥητορική) Etym. Magn. utitur: *ἡμιδιπλοίδιον· γυναικεῖον βραχὺ περίβλημα, ὃ ἔνδον φοροῦσιν ὑπὸ τὸν μηρόν.* Hesych. s. v.: *ἱμάτιον μικρὸν, οἱ δὲ ἀναβόλαιον γυναικεῖον σύμμετρον* (?) *ὅπερ ἔνδοθεν ἐφόρουν.* Schol. Aristophan., quocum Suidas consentit: *τὸ* (om. Suid.) *γυναικεῖον ἱμάτιον ἢ* (om. Suid.) *ἀναβόλαιον γυναικῶν.*

[3] Qui cum causas in illo libello nondum attulerit mox ipse quoque de re vestiaria Attica meletemata editurus, argumenta eius praecipere coactus eram. Spero vero me non aëra caesurum esse.

Digitized by Google

obvertatur quisquam haud facile grammaticum posterioris aetatis *τριβώνιον* ceteroquin de virilibus tantum himatiis usurpatum hic adhibiturum fuisse, relego te ad Etymologi Gudiani vocis illius explicationem.[1] Hanc qui scribere poterat, certe non dubitabat *τριβώνιον* voce muliebre quoque himation significare. Est autem ideo veridissimillimum *τριβώνιον* genuinam lectionem esse, quia correcta hac voce in *χιτώνιον* in ipso illo versu difficultas oriebatur, in qua vel caecus offendere debebat: *ἀμπέχει χιτώνιον.* Immo *ἀμπέχει χιτώνιον* scriptum erat, quod cum non ferendum videretur probo cuidam magistello, mutavit *χιτώνιον* in *τριβώνιον;* fugit vero eum nunc duobus in locis sane remotioribus offensiones similes existere, quae sunt *τὸ δ' ἱμάτιόν σου* v. 333 et *οὐνδύεται* v. 352. Ut bono animo acquiescas in Ravennatis lectione. Quo argumento subrepto ut alterum quoque labefactem, ostendere conabor non necessario *ἔγκυκλον* v. 536 eandem vestem significare atque *ἡμιδιπλοίδιον* v. 318. Quod ita optime fiet ut ostendam, qua de causa Aristophanes et Blepyrum hemidiploidio instruxerit et Praxagoram v. s. alio vestimento ad obtegendum maritum utentem fecerit. Atque illius rei causa scaenica quaedam est. Nempe crocotula (v. 329. 332) ipso statim colore, qui maxime in oculos cadebat, ut muliebris vestis dignoscebatur: viri enim nunquam *κροκωτοφοροῦσιν.*[2] Praebebat praeterea color eius occasionem praeclarissimam vere Aristophaneo more iocandi (*κατατιλᾶν* v. 330). Encycli autem v. 536 mentionem traxit comparatio Blepyri cum mortuo in lecto funebri *προκειμένῳ*: mortui enim himatio obteguntur, et mirum fuisset, si Praxagora, cum adesset ei himation, chitone potius virum obtegisset, multo minus idoneo ad hanc rem. — Spero vero non fore qui tam nihil libertatis poëticae Aristophani condonandum putent, ut nullo alio vestimento Blepyrum pro tota rerum condicione se amicire potuisse contendant, quam eo, quod Praxagora ei imposuerat. Quid enim? nonne

[1] Verba corrupta, sensum tamen facile assequeris: *τριβώνιον τοῦ ῥάκους διαφέρει· ὅτι τριβώνιον μέν ἐστι τὸ ἀποβεβληκὸς τοῦ κροκίδ . . τῆς βαφῆς ἱμάτ . . . παρὰ τὸ τετρίφθαι· ῥάκος δὲ τὸ διεῤῥωγὸς κτλ.* et: *τριβώνιον ἕκαστον πάλλιον καὶ τετριμμένον πάλλιον, ἀπὸ γὰρ τῆς τριβῆς καὶ τοῦ τετρίφθαι εἴρηται.* — Revera autem mulierum himatia *τριβώνια* vocata esse — si *τετριμμένα* erant — ab Atticis, docet *C. I. A.* II. n. 754. v. 22: Glycera Dianae praeter *χιτωνίσκον περιήγητον ἐκπλύτῳ ἁλουργεῖ* dedicat *τριβώνια δύο.* Dianae autem muliebria tantum vestimenta dedicantur; si virorum aut parvulorum sunt, hoc in titulis illis adnotatur: *ἱμάτιον ἀνδρεῖον* 754. v. 47, *χιτωνίσκος ἀνδρεῖος* 750. B. II. v. 26. 751. B. I. v. 13, *χιτωνίσκιον (χιτωνίσκος) παιδεῖον (παιδίου)* 754. v. 28. v. 58, *ἱμάτιον παιδεῖον* 751 B. I. v. 7, *χλανίσκιον παιδίον* 754. v. 40.

[2] Cfr. Hermann-Bluemner, *Privatalterthuemer* p. 289. n. 1.

Digitized by Google

cogitari possit Blepyrum, cum expergefactus et immani desidendi necessitate vexatus himation quaereret, mulieris himation, quod sibi impositum invenit, indignatum abiecisse, dein cum in caligine (v. 314. 375) *ψηλαφῶν* (v. 315) ipsius himation invenire non posset, aliud uxoris vestimentum, in quod incideret, arripuisse? Nusquam enim in corpore illud *ἡμιδιπλοίδιον* invenisse se dicit, sed v. 317: *λαμβάνω | τουτὶ τὸ τῆς γυναικὸς ἡμιδιπλοίδιον* et v. 375: *ἐν τῷ σκότῳ γὰρ τοῦτ' ἔτυχον ἔνδον λαβών.* Itaque id tantum postulari poterit, ut hemidiploidion in ipso lectulo vel prope habuerit locum suum.

Restat igitur unum argumentum, quo niti illi possint: *ἀμπέχεσθαι* vox, quae de chitonibus induendis non usurpari solet. Et huic argumento veri aliquid inesse non negem. Ita enim res sese habet, ut Attici scriptores accuratissime servent discrimen quod interest inter *ἐνδύεσθαι* et *ἀμπέχεσθαι* voces, quarum haec semper de periblematis, illa semper de endymatis usurpatur. Ac mihi quidem, cum e scriptoribus posterioribus nonnulla exempla vocum commutatarum congesserim,[1] nullum apud Atticum scriptorem invenire contigit. Ut, licet afferant hoc unum exemplum qui diligentiores sunt in perscrutando — spondeam autem tibi rarissima ea fore —, hoc fortiter contendam in fabula Aristophanea merito offendere suamque suo iure poscere explicationem *ἀμπέχεσθαι* vocem bis de endymate usurpatam et semel quidem prope coniunctam cum propria *ἐνδύεσθαι*: *τὸ κροκωτίδιον ἀμπισχόμενος, οὐνδύεται.* Et accipiet explicationem. Nimirum Blepyrus eam vestem, quam uxor induit, chitonem ergo qualemcunque, himatii instar sibi circumicit — *ἀμπέχεται* — temporis difficultate coactus. Quo habitu ante oculos posito — reputes autem tecum chitonem ob formam oblongam perexiguam tantum corporis partem tegere posse, si circumicitur, itaque et Chremetem in Blepyri considentis corpore adverso[2] angustam tantum laciniam funesti illius coloris conspicere — multo melius intelligitur vicini quaestio: (v. 328)

εἰπέ μοι
τί τοῦτό σοι τὸ πυῤῥόν ἐστιν; οὔ τί που
Κινησίας σου κατατετίληκέν ποθεν;

[1] *ἐνδύειν* de himatio usurpatum invenis Aelian. V. H. VII. 6. Evang. Marc. c. 15. v. 17 (coll. Evang. Matth. c. 27. v. 28). *ἀμπέχειν* de chitone adhibiti exempla habeas Athen. p. 590 f. (*ἐχέσαρκον γὰρ χιτώνιον ἠμπείχετο*) et Plutarch. Alcib. c. 32. 2. Moral. 596 D — qui ceteroquin servat discrimen vocum, cfr. Agesil. c. 14. 36. Aem. Paull. c. 34. 1.

[2] In adverso corpore: pathicus enim est *Κινησίας*!

Digitized by Google

Quae ne dicam absurda at frigida certe esset, si iusto more indutum totum Blepyri corpus hemidiploidion involvisset.

Iam vero est via, qua usi illi sententiam servare possint. Nempe Studniczka id himatiorum genus hemidiploidiorum nomine designat, cuius exemplum nobilissimum Diana quae dicitur Gabiniensis praebet, sine dubio quia hoc unum inter cetera mulierum illius aetatis periblemata revera duplex est. Hoc tale himation, cum sit pannus quadratus satis magnae mensurae, etiam in utroque humero fibulis configi potuisse, ita ut accipiat formam vestis Victoriae Gerhard. *A.V.-B.* t. 155 puellae amphoram ferentis *M.d.I.* X. t. 33, quis est qui neget? Hanc autem formam indumenti formam esse dicent, *(χιτώνιον)*, et sic mulierem Blepyri illam gestare *(τὸ κροκωτίδιον ἀμπισχόμενος, οὐνδύεται)*, illam periblematis esse *(ἔγκυκλον, ἀμπέχεσθαι)* et sic, soluta altera fibula, Blepyrum illam sibi circumiecisse *(ἀμπέχει χιτώνιον, κροκωτίδιον ἀμπισχόμενος, οὐνδύεται)*.

At vel haec irrita. Nam primum quidem, cum mulieres quoque saepissime in altero tantum humero vestem contentam gerant, sic non explicari potest, cur tam dedita opera Aristophanes significet Praxagoram hemidiploidion induere.

Atque etiamsi mulieres saepius in utroque quam in altero humero illam vestem conexam gessissent, tamen de ea cogitari non posset, vetarent enim voces *οὐνδύεται* et *χιτώνιον*. Quo enim quaeso iure tale vestimentum, quale e. gr. Victoria et puella in vasculis supra allatis gerunt, pro endymate habebis? Non induitur sed corpori circumdatur; non cingitur, nisi tanta fit deplicata pars, ut ratio cincturam poscat;[1] supra proprio chitone neque in ipso corpore gerebatur.[2] Et expressis Grammaticus quidam Alexandrinus eximiae doctrinae apud schol. in Eurip. Hecub. v. 933 vestem virginum Lacaenarum, quae ipsa quoque in utroque humero configebatur, non chitonem sed himation esse testatur:[3] *αἱ Λακεδαιμόνιαι κόραι διημερεύουσιν ἄζωστοι καὶ ἀχίτωνες ἱματίδιον ἔχουσαι πεπορπημένον ἐφ' ἑκατέρου τῶν ὤμων κτλ.* —

Est igitur *ἡμιδιπλοίδιον* chiton circum clausus. Et qualem tandem chitonem id fuisse tibi finges? Respondet ipsa vox: erat dimidiatum

[1] De quo et in alterius partis cap. III agam.

[2] Vidatur inprimis Excurs. II, dein et part. II cap. III, ubi superiorum „attici" vestitus vestium mentio fit.

[3] Et hic locus in Excurs. II tractabitur.

Digitized by Google

diploidium.[1] Ergone deplicata — capite altero perlustrato fortasse ignosces ἁμαρτύρῳ huic voci — illa a chitone proprio pars est, quam a chitone separaverunt? Sed nusquam credam linguam vigentem adhuc necdum senescentem tam languidam tamque obscuram significationem invenisse, quae in se habeat repugnantiam, quippe tollitur διπλοίδιον vocis notio ἡμι-[2] illo. Immo duplex et hemidiploidion fuerit necesse est, quod ea tantum de causa dimidiatum vocabatur diplo idion, quia dimidio brevior erat, quam diploidium. Hoc talare est, illud circa genua fere desinit: exemplo tibi sint Minerva in vasculis duobus Berolinensibus: *A. Z.* XXXIV. 1876. t. 11, Benndorf, *Griech. und sicil. V.-B.* t. 27. 3, dein *M. d. I.* X. t. 54. Est ergo superula quaedam hemidiploidion: hanc noctu deposuisse mulieres haud absonum, credo, est, nihilque impedit, quominus prope lectum eam deposuisse illas statuamus. Cistae enim vestiariae abhorrere mihi videntur a Blepyri et uxoris condicione, qui dormitent himatiis pro opertoriis noctu utentes, qui gravem iacturam ducant triobolo ecclesiastico privari (v. 391 sq. v. 547), qui singula tantum himatia possideant — maritus quidem — (v. 353). — Ac grammatici quoque illud ἡμι- nostro sensu interpretati esse videntur, si quidem habent ... βραχὺ περίβλημα, ὃ ..... φοροῦσιν ὑπὸ τὸν μηρόν (Photius p. 260. Naber, Etym. Magn. p. 430. 46) et: ἱμάτιον μικρόν (Hesych.).[3] Grammaticos cum commemorem, in mentem mihi venit, quod sicco pede eos transierim ἡμιδιπλοίδιον himation esse docentes. Quod ne cui nimis temerarium videatur esse, proponam interpretationem ipsam quoque ad hemidiploidion spectantem eiusdem grammatici. Quid tandem illud ἔνδον s. ἔνδοθεν (cfr. p. 10 n. 2) sibi velle putas? An sub alia veste illud gestatum esse? At

---

[1] Neque enim Goellio assentiendum puto, qui (Becker, *Charicles, Bilder altgriech. Sitte etc.*[3] III p. 223) illud ἡμι- non proprio sensu dictum arbitratur, sed in eo nil videt nisi *„einen unwilligen Scherz des Blepyrus, da dasselbe ihm für die kalte Nacht zu wenig ist“*. Neque enim, ut de miro vocis ἡμι- usu taceam, in tota illa scaena Blepyrus unquam de frigore queritur; si vero praeter ceteras molestias etiam frigore laborantem illum fingere voluisset Aristophanes, ipsum hac de re lamentantem fecisset! Qui enim a spectatoribus postulari potest, ut Praxagorae verba v. 539: ψῦχος γὰρ ἦν, ἐγὼ δὲ λεπτὴ κἀσθενής· ἔπειθ' ἵν' ἀλεαίνοιμι, τοῦτ' ἠμπισχόμην, in quibus unis de frigore noctis agitur, praesagiant v. 317?

[2] Prorsus separanda enim ab hac locutione, quae sermonis cotidiani erat, excogitata illa mereque technica Timaei Locrensis, qui certam quandam triangulorum speciem „ἡμιτετράγωνα“ vocat, [περὶ ψυχῆς κόσμω καὶ φύσιος, 5. Mullach. *Fragm. Philos. Graec.* II p. 41]. Atque idem alia quaedam triangula ἡμιτρίγωνα nominat.

[3] Cfr. Hesych. et Suid. s. v. ἡμιφάριον· ἡμισυ ἱματίου. — Locos ad ἡμιδιπλοίδιον spectantes v. p. 10 not. 2.

Digitized by Google

περίβλημα illud esse volunt, praeterea conferas Etym. Magn. s. v. ἐπιγονατίς (p. 358. 26) ... χιτὼν ἀνάκωλος γυναικεῖος, ὃν ἔνδοθεν ἐπενδύονται. Immo contendit grammaticus mulieres hemidiplo idion domi gestasse, deposuisse, si foras exirent, idque sine dubio nisus et Ecclesiazusarum loco et Lysistratae v. v. 42 sq.:

τί δ' ἂν γυναῖκες φρόνιμον ἐργασαίατο,
. . . . . αἳ καθήμεθ' ἐξανθισμέναι,
κροκωτὰ φορούσαι καὶ κεκαλλωπισμέναι κτλ.

Nam cave, ne pro more illius aetatis recepto hoc habeas; nil est nisi umbratilis grammatici doctrinae specimen, quod cui non sufficit, is pergat cum illo hemidiploidion pro himatio habere.[1]

Ut breviter complectar, quid sentiam, persuasum mihi habeo diploidia esse chitones duplices circum clausos, quales gerunt e. gr. Virgines Erechthei, Saltatrices, quae dicuntur, Herculanenses (*Antichità di Ercolano* VI. [*Bronzi* II] t. 71. 72. 73. 74. 75.), et cinctam supra deplicata parte Minerva Arae Pergamenae; in vasculis Tragoedia apud Gerhard. *A. V.-B.* t. 56. 2, virgines apud Raoul-Rochette, *Mon. inéd.* t. 10 et cinctam Diana apud Gerhard. l. s. t. 29 et Victoria ib. t. 81. — Quae si breviora fiunt — exempla videsis p. 14 — ἡμιδιπλοίδια ea voces.

Diploïdas autem voco omnia mulierum quoque himatia, inter quae secundum ea quae p. 13 disserui — cfr. praeterea Excurs. II — et ea duco, quae aut una aut duabus fibulis in humeris configuntur. Διπλοΐδας ergo dicas praeter exempla supra proposita vestem Briseïdos apud

---

[1] Ne te offendat quod grammatici de ἐπιγονατίς quoque atque etiam de encyclo (Pausan. Attic. apud Eustath. ad Iliad. XIV. v. 78. p. 976. 12) referunt: „ὃν ἔνδοθεν ἐνδύονται“: quod utrumque cum chitonem esse tradant, Ecclesiazusarum vero loco de himatio agatur — ex eorum sententia — tuo iure dices alia quoque argumenta illos habuisse debere, quae eis probaverint Atticas mulieres alias vestes domi, alias foris supra chitone gestasse. At vel illa de epigonatide et encyclo doctrina ex loco significato fluxit: fuere nempe grammatici, qui certe iisdem quibus nos causis moti ἡμιδιπλοίδιον (et ἔγκυκλον, quod ab illo diversum esse negasse videntur) pro endymate haberent, cuius rei vestigium sanequam tenue in „ἦ“ illo Hesychii habes. (Hic ex interpretatione illa servatum ἱμάτιον γυναικεῖον : ἱμάτιον autem endyma significasse probatur opposito ἀναβόλαιον. Cfr. Etym. Magn. s. v. χιτών: .... ἐπὶ μὲν τοῦ συνήθως ἡμῖν λεγομένου ἱματίου. Etym. Gud. χιτὼν· ὑποκάμισον, τὸ τοῦ ἀνδρὸς ἱμάτιον κτλ.). Et hoc endyma autem domi tantum gestatum putaverunt: quod idem de epigonatide valere credebant, ipsa quoque superiore chitone breviore. — Quod vero apud Pausaniam legitur: ὃν ἔνδοθεν ἐνδύονται, εἶτα τὸ ἔνδυμα fere spoponderim additamentum esse Eustathii reputato et vocis ἔνδον usu et collato illo ἔνδοθεν ἐπενδύονται.

Digitized by Google

Gerhard. *A. V.-B.* t. 184, virginis ib. t. 200, Maenadis *È. C.* I. t. 47 (cincta est supra deplicata parte diploïs), Dianae in ectypo Argivo nobilissimo Polystratae (Le Bas-Waddington, *Monum. figur.* t. 102. 1), Steropae e fastigio orientali Olympiaci Iovis templi (*Ausgrab. v. Olympia* II. t. 6), statuarum Minervae, quae ad Phidiae *Πάρθενον* recedunt (cfr. Schreiber, *Abhandl. der sächs. Gesellsch. d. Wiss.* XIX. [*Phil. histor. Classe* VIII.] 1883 t. 1 sq. Omnes cinctae sunt supra dependula parte.)[1]

Sed ne reticuisse me locos sententiae meae repugnantes dicas: invenitur glossa apud Herodianum (Philet. p. 446 Pierson.) *διπλήδιον· ἱμάτιον διπλοῦν.* Dein vestis superior summi pontificis Iudaeorum in lexico Bachmanni s. v. *ἐφούθ:* *διπλοΐς* vocatur, apud Cramerum autem in excerptis e Georgii Hamartoli Chronico (*Anecd. graec. oxon.* IV. p. 228) *διπλόδιον:*[2] promiscue igitur utraque voce utuntur. Sed illud nil valet, nam saepissime lexicographi *ἱμάτιον* latiore sensu usurpant, ut idem sit atque *ἐσθής*. Et quod ad alterum: operam est et

---

[1] Himatiorum duplicium in utroque humero fibula confixorum fortasse aliud nomen praeter generale illud „*διπλοΐς*“ nobis traditum est. *Πτέρυγες* chitonum quae sint Pollux nos docet; dicit (VII. 62): *μέρη δὲ ἐσθήτων πτέρυγες μὲν καὶ πτερύγιον τὸ ἥμισυ τοῦ χιτωνίσκου.* Cui interpretationi non refragatur versus Aristophaneus ab ipso mox adlegatus (l. 5. 66): *τὴν πτέρυγα παραλύσασα τοῦ χιτωνίου | καὶ τῶν ἀποδεσμῶν* (†) *οἷς ἐνῆν τιτθίδια*, et probat eam Plutarchus (Comp. Num. et Lycurg. III. 2) de chitone scisso *(σχιστὸς χιτών)* disserens: *τῷ γὰρ ὄντι αἱ τοῦ παρθενικοῦ χιτῶνος πτέρυγες οὐκ ἦσαν συνεῤῥαμμέναι κάτωθεν ἀλλὰ κτλ.* Sunt igitur *πτέρυγες* chitonis tota antica totaque postica pars. (Plutarch.: *αἱ πτέρυγες οὐκ ἦσαν συνεῤῥαμμέναι κάτωθεν;* apud Aristophanem *παραλύεται πτέρυξ* in humero, cfr. versum insequentem). Iam vero *πτέρυγες* illae in vestibus circum clausis non cernuntur, itaque nisi in technicis descriptionibus de alis diploidiorum loqui non potes. Potes vero, si non consutae sunt *πτέρυγες*, tum enim libere volitantes statim in oculos incidunt. Sic praeclarissime chlamys *πτερὰ θετταλικὰ* vocatur, quod solet prave intelligi (cfr. *Annal.* 1877 p. 312). Nunc in titulis vestiariis — de quibus tertium caput conferas — *C. I. A.* II. 751 sq. bis memoratur *διπτέρυγον*, semel (754 v. 38) *διπτέρυγον κατάστικτον*, semel (758 B. II. v. 39) *διπτέρυγον ἰμόργινον.* Num hic igitur diploïdes significantur in utroque humero confixae, quarum *πτέρυγες* aeque ac chlamydum bene conspicuae sunt? An fortasse *χιτῶνες σχιστοὶ* dicuntur, quorum *πτέρυγες* infra non minus in oculos cadunt? Equidem rem non diiudicaverim. Quamquam etiamsi diploïda significat illa vox, tamen minime hac re refutantur ea quae supra de diploïdibus disserui, non indumenta sed periblemata eas esse contendens. Quippe externae tantum speciei ratione habita pro chitone in latere non consuto diploïda habebant, ideoque chitonis nomine eam designabant.

[2] Cod. *λόγιον* habet. Formam *διπλόδιον* restitui ex hermeneumatis cod. Montepessul. editis a Boucherio *Notices et extraits* XXIII. 1872. p. 432 ubi legitur *ἁπλόδιον·* Literarum similitudinem quandam adesse non negabis: *ΛΟΓΙΟΝ ΔΙΠ]ΛΟΔΙΟΝ.*

Digitized by Google

oleum perdere in istorum magistellorum erroribus explicandis versari: quid enim? vestimentum simplex *διπλοίδιον* s. *διπλοΐδα* vocant! (cfr. Riehm. *Biblisches Handwörterbuch* s. v. Ephod.).

II.

Variis nominibus duplicati chitonis dependulam partem designare libuit viris doctis. Plerique enim *ἡμιδιπλοίδιον* aut *διπλοίδιον* eam vocabant. Ac de illa voce supra iam egimus, de hac vix pluribus disserere opus est, nam apparet formam, licet sit deminutiva, tamen nihilo minus duplex quoddam vestimentum significare debere, non partem duplicis. Alii *ἀμπεχόνιον* eam vocabant:[1] fortasse quia grammatici hoc significare perhibent *μικρὸν περίβλημα* (Poll. VII. 49) s. *λεπτὸν ἱμάτιον* (Suid., Etym. Gud., Hesych., Moeris, alii). Alii denique *πέπλος* s. *ξανός*,[2] voces Homericas, adhibebant: quo tandem loco nisi, equidem nescio.

Sed, nisi omnia me fallunt, asservatum nobis est nomen, quo Attici quarto a. C. n. saeculo illam partem designaverunt. Extant enim tituli nonnulli,[3] in quibus recensetur statua aurea Victoriae in Heca-

[1] Sic nominatur *Ann.* 1863 p. 235; apud Guhl. et Koner. *Leben der Griechen und Römer*[4] p. 192.

[2] Sic a Broendstedio, *Reisen und Unters. in Griechenland* II. p. 216. — Data occasione utar, ut, si fieri potest, eiciam e terminologia archaeologica voces homericas, inprimis „*πέπλος*“ illud. Atticis enim — et Atticae artis monumenta tractamus — *πέπλος* non usitatum est nisi in sermone elato (tragico e. gr.) et solemni (sic Minervae vestimentum *πέπλος* vocari solet); praeterea Xenophon Cyropaediae locis notissimis (III. 1. 12; 3. 67; V. 1. 5, 1. 6) de barbarorum vestibus eo utitur, quas graecis chitone et himatio designare suo iure dubitat, quippe quae voces certas quasdam vestium formas designent. (Neque quisquam praeter probum illum Pollucem (VII. 50), Xenophontis sui amantem, propriam inde construxit sibi vestem.) *πέπλος* autem iis nec chitonem solum neque himation significabat, sed sensu generali adhibitum mox illum, mox hoc. Itaque, si quidem nimium amplecteris *πέπλον* tuum, loquaris licet de *πέπλῳ*, quem Sophocles Lateranensis, quem Minervae statuae ad *Παρθενον* Phidiae recedentes, quem Endoei statua quae putabatur; quem Cephisodoti Pax dea gerit: omnium vestes *πέπλοι* vocari possunt; neve tamen e. gr. Niobes statuam „chitone et peplo“ vestitam dicas. Nimirum et chiton peplos est.

[3] Editi sunt in *C. I. A.* II. parte altera. Antiquissimus est 642, Olympiadis nempe 94. 2 (s. 3), sequuntur 652 A v. 16 sq. (Ol. 95. 3) = *C. I. Gr.* I. 150, 660 v. 8 sq. (Ol. 97. 3), 667 v. 8 sq. (Ol. 98, 4), 677 A I v. 26 sq. (Ol. 103. 2), denique incertae Olympiadis 654 a. v. 6 sq. et 710.

Digitized by Google

tompedo asservata, quam ad apparatum pomparum pertinuisse et ex bonis triginta virorum publicatis confectam esse Michaëlis coniectura est (*Der Parthenon* p. 301) non improbata ea quidem ab Udalrico Koehler (*C. I. A.* II. no. 642). Tota autem statua membratim, ut ita dicam, destruitur singulaeque partes penduntur, neque tamen uniuscuiusque particulae pondus indicatur sed singulorum ῥυμῶν, in quos statua descripta est, et quorum unus quisque plures complectitur partes.

Atque in primo ῥυμῷ sunt caput, collum, brachium laevum et quaecunque hisce adhaerent ornamenta, ut corona, collare, armilla. Sequitur alter ῥυμὸς — apponam ipsius lapidis verba —:

δεύτερος ῥυμὸς θώραξ στρόφιον σταθ[μὸν τ]ούτων ΧΧΔ
τρίτος ῥυμὸς ἀπόπτυγμα περόναι δύο πόδ[ε δύο] σταθμὸν
τούτων ΧΓΗΗΗΗΔΔΔΠΡΡΡΙΙΙ

Var. lect.: Haec est lectio tituli 652 v. 19—21. Alterius ῥυμοῦ partes et pondus 677 A I. v. 30—32 sic indicantur: δ. ῥ. θ. στρ. [π]εριτραχη-λίδιον στολίδε δύο χρυσία [μ]ικρά σταθμὸν ΧΓΗΗΗΗΔΔ[Δ]ΔΠΡΡΡ. Itemque in mutilo 667 v. 9 post στρόφιον agnoscitur περιτρα.... In tertio ῥυμῷ 677 post πόδε δύο recensentur χρυσία μικρά, 667 χρυσίδια μικρά.

Apparet ἀπόπτυγμα esse vestis Victoriae partem — quid enim aliud in illa πτύσσεται? —, quae infra cingulum est, supra illud enim nulla pars est, quae tantopere emineat, ut separatim ab artifice confici potuerit praeter rugam magnam in utroque latere cinctura effectam (cfr. p. 19), στολίδας tituli 677. Quibus condicionibus satisfaceret Boeckhii, viri egregii, explicatio „*plicaturam de zona dependentem*“ apoptygma esse conicientis [v. *C. I. Gr.* I. no. 150]. Sed hoc esset κόλπος! Odofredus Mueller autem [*Minerv. Poliad. sacra et aed. in arce Atheniens.* Gotting. 1820 p. 42] interpretabatur: „*ad priscum ornatum pertinebant laciniae diligenter sinuatae e latere ad suras dependulae, quae vel πτερύγια vel ἀπόπτυγμα dixeris*“. Qui, si recte eum tales lacinias dicere suspicor, quales e. gr. Minerva fastigii templi Aeginetici habet,[1] — neque enim nunc praesto sunt quae adlegat vir eximius exempla: Millin. *Monum. ined.* II. t. 47, Tischbein. *Pictur. Vas.* IV. t. 9 — certissime erravit. Abhorret enim hic vestitus a statua Victoriae quarti a. C. n. saeculi ineuntis, quod et ipse Muellerus

[1] Rectum me assecutum esse doceor inspecto Muelleri libro, cui inscribitur „*Handbuch der Archaeol. der Kunst*“ [3] p. 493. Et Muellerus ut alii multi himation illud Minervae pro deplicata chitonis parte habebat.

Digitized by Google

sensisse videtur, dicit enim (l. s.): *„sed hunc cultum quamquam Minerva tenebat, is tamen virginibus Atticis tum iam displicuisse videtur.“* (cfr. part. II. cap. 2 et 3). —

Res tam aperta mihi esse videtur, ut iam vel caeco illucescere debeat, quid sit illud *ἀπόπτυγμα:* nempe nihil aliud nisi ipsa illa duplicati chitonis dependula pars. Fingas autem tibi necesse est auream Victoriam illam ex exemplo Victoriae Megarensis (*Mittheil. des archaeol. Instit.* VI. 1881 t. 10. 11), cincto chitone supra apoptygma, ita ut in lateribus super cingulo magnae illae *στολίδες* existerent. Ea autem apoptygmatis pars, quae cingulo non continebatur, libere volitabat, ideoque separatim conficiebatur ab artifice, et haec ipsa in titulis recensetur. Nihilominus tamen totam deplicatam partem chitonis illo nomine designandam esse docet ipsa *ἀπόπτυγμα* vox. *πτύσσειν* enim dicitur de vestibus complicandis. Sic Apollodorus Carystius (Meineke, *Fragm. Com. Graec.* IV. p. 440): *τὴν ἐπωμίδα πτύξασα διπλῆν ἄνωθεν ἐνεκομβωσάμην*, sic in Anthol. Palat. VI. 271 mulier Dianae dedicat *πέπλων ὀλίγον πτύγμα*, sic lexicographi *πτύγμα* explicant per *δίπλωμα* (Hesych., Suid., Phot.) et *πτύξις* per *δίπλωσις* (Eustath. p. 633. 19). Et si hoc *πτύσσειν* est, vix scio, quo meliore nomine partem dependulam duplicati vestimenti significes, quam ipso illo *ἀπόπτυγμα: ἀπο-πτύσσεται* nempe a proprio chitone.[1]

Iam verbum non amplius addam.

---

[1] Cum mihi quidem fulcris sententia indigere non videatur, remitto locum Aen. Tactic. comment. poliorc p. 94. 15—95. 4 Hercher., ubi legitur: ... *εἰς βίβλιον γράψαντες ὡς λεπτότατον μακροῖς στίχους καὶ λεπτὰ γράμματα, ἵν' ὡς εὐγκοτάτη γένηται ἡ ἐπιστολή, εἶτα ἐπὶ τῷ ὤμῳ τοῦ χιτῶνος ὑποθέντες, καὶ ἀποπτύξαντες τοῦ χιτωνίσκου ἐπὶ τῷ ὤμῳ ἀνύποπτος δὴ δοκεῖ εἶναι ἡ κομιδὴ τῆς ἐπίστολῆς καὶ ἐνδεδυκότος τινὸς τὸν χιτωνίσκον καὶ οὕτω φερομένου.* Hic enim et Hauptius et Hercherus pro utroque „ὦμος“ „ὦα“ scripto *ἀποπτύσσειν* in *ἐπιπτύσσειν* mutaverunt. Quod utrum recte fecerint necne, cum subseciva opera hercle diiudicari non possit, loco non utar.

Neque silentio praetermittere possum in frusto quodam tabulae curatorum Brauronii (v. h. p. cap. III) semel legi literas *ΥΓΜ*, quibus Udalricus Koehler *πτ-*] praefigit (*C. I. A.* II. 762 II. v. 15). Atque equidem, quid illic latere possit nisi *ἀπόπτυγμα*, nescio. Neque enim hic ut in Anthol. Palat. VI. 271 de *πέπλων ὀλίγῳ πτύγματι* cogitari potest. Et si exemplum apoptygmatis soluti quaeris, relego te ad Iunonem Berolinensem (Overbeck. *Kunstmythol.* t. 14. 21) Minervamque *M. d. I.* XI. t. 19.

Digitized by Google

III.

Tabulas curatorum Dianae Brauroniae, in quibus recensentur quae mulieres deae illi dedicaverant vestimenta, summo ad rem vestiariam Atticorum illustrandam momento esse iam Boeckhius recte intellexit, qui lapidem *C. I. Gr.* I. 155 (= *C. I. A.* II. 754) *„marmor in re vestiaria classicum“* vocat. Quamquam hodie demum editis quam accuratissime Koehleri opera omnibus, quae investigari poterant, tabularum illarum fragmentis in *C. I. A.* II. 751 sq. fieri potest, ut certiora ex eis eliciantur. Valde infirmum enim, credo, fundamentum Rhangabis titulorum apographa (*Antiquit. Hellén.* II. p. 528 sq., no. 861 sq.) praebuissent.

Atque ut specimen tanquam habeas pretii titulorum, ostendam breviter, quid de discrimine vocum *χιτών* — *χιτώνιον* — *χιτωνίσκος* doceant, quae omnes de mulierum chitonibus in iis usurpantur.

Antea vero moneam, quae adhuc innotuerint acta curatorum Brauronii, ea inter initium partis alterius saeculi quarti et mortem Alexandri Magni lapidibus incisa esse (cfr. Koehler. *C. I. A.* II. 2. p. 113).

Iam si praetermissis iis titulis, qui tam mutili sunt, ut vix unius vestimenti descriptionem integram habeas — sunt 751 B frgt. a I., frgt. b, c, 758 B I. (repetit. 760 B I. v. 1—16), III, 759 I., 760 B I. v. 17 sq., 761 B, 762, — eos tantum in censum vocas, qui melius servati sunt, nempe 754 (cuius partem repetunt 751 B frgt. a II., 755, 756, 760 B II.), 757, 758 B II. (coll. 759 II.), 763, 764, invenies *χιτωνίσκος* vocem tricies occurrere, *χιτών* terdecies, *χιτώνιον* decies. Nunc vero iam a priori conieceris, in recensu tot tamque diversarum vestium, instituto eo quidem a magistratu Attico lapidique inciso tres illas voces non promiscue de una eademque chitonis forma usurpatas esse. Quod confirmatur adiectivis, quibus curatores singulas descripsere. Nam cum *χιτών*[1] et *χιτώνιον*[2] tantum non semper secum habeant

---

[1] *χιτὼν ἀμόργινος* occurrit: 754 v. 10, v. 22; 758 B II. v. 19, v. 36 *(λιτὸς ἀμόργινος)* v. 41; 763 v. 2/3, 7/8 *(ἀμόργινος μεσοαλουργής)*; 764 v. 4 = octies; *χιτὼν στύππινος* occurrit: 758 B II. v. 9, v. 10, v. 15; 763. v. 15. v. 16 = quinquies. Bis in titulis illi mutilatis invenitur: 762 II. v. 9 *χ]ιτῶνα ἀμόργ[ινον*; et v. 11 quoque sine dubio supplendum *χιτῶνα ἀ[μόργινον.*

[2] Quo facilius cognoscas adiectiva, quae *χιτώνιον* voci adduntur, singulos locos exscribam:

χιτώνιον ἀμόργινον ἁπλοῦν . . . . . 754 v. 51, 763 I. v. 18.
„ „ *ἰσοπτυχές* . . . . . v. 63, v. 65.

Digitized by Google

adiectiva *ἀμόργινος* et *στύππινος* — bis tantum *χιτώνιον* sine adiectivo legitur — nunquam *χιτωνίσκος*[1] cum altero eorum iungitur aut omnino cum adiectivo materiem significanti. Semel tamen in mutilo quodam titulo — 751 B I. v. 10 — invenitur *χι]τωνίσκον στύππ[ινον*. Accedit, quod, cum inter triginta illos chitoniscos viginti tres varie ornati sint, e viginti tribus chitonibus et chitoniis non nisi tria aliquo saltem ornamento instructa sint. Et his quidem rebus chitonisci a ceteris discrepant. Sed inter chitones quoque et chitonia aliquid interfuisse

---

χιτώνιον ἀμόργινον διπλοῦν . . . . . v. 64.
„ *ἰσοπτυχὲς διπλοῦν* . . . . . v. 66.
χιτω . . [spatium 17 literarum] . . *πλοῦν* . . v. 67.
χιτώνιον θάψινον παραλουργές . . . . 757 v. 24.
„ *στύππινον κατάστικτον* . . . 758 B II. v. 26/27.
ἱμάτιον λευκὸν καὶ χιτώνιον . . . . . 758 B II. v. 35.
χιτώνιον στύππινον κροκωτόν . . . . 763 17 (dubia lectio!)

In fragmentis invenimus *χιτώνιον ἀμόργινον*: 751 B frgt. a. I. v. 3, 760 B v. 18. v. 22; *χιτώνιον στύππινον* 751 B a. I. v. 8; *χιτ]ώνιον ἰσ[οπτυχές* 758 B III. v. 10.

[1] *χιτωνίσκος κτενωτὸς περιποίκιλος* . . . . 754 v. 8, v. 42.
„ *ἀλουργὸς ποικίλος* . . . . . v. 13, v. 14.
„ . . . . . v. 20.
„ *περιήγητος ἐκπλύτῳ ἀλουργεῖ* . . . . v. 21.
„ *πυργωτός* . . . . . v. 26.
(„ *καρτὸς παιδεῖος παρυφὴν ἔχει θερμαστίν* v. 28/29.)
„ *ἐξίστως κτενωτός* . . . . . v. 30.
„ *κτενωτὸς περιήγητος* . . . . . v. 43. 763. I. v. 13.
„ „ . . . . . v. 45, v. 51/52. 758 B II. v. 37,
„ *λευκὸς πυργωτὸς παρακυμάτιος πλατυαλουργὴς* . . . . . v. 45—47.
„ *περιήγητος* . . . . . v. 52. 758 B II. v. 33, v. 40.
„ *ἡμιυφής* . . . . . v. 53. 758 B II. v. 38.
(„ *κροκωτὸς παιδίου* . . . . . v. 58.)
„ *λευκὸς παραποίκιλος* . . . . 757 v. 21.
„ *λευκός* . . . . . 758 B II. v. 11.
„ *βατραχειοῦς* . . . . . v. 12.
„ *μεσαλουργὴς λευκός* . . . . . v. 14/15.
„ *γλαυκειοῦς* . . . . . v. 16.
„ *παραλουργὴς παραποίκιλος* . . . . . v. 17.
„ *χειριδωτὸς περιποίκιλος* . . . . . v. 21/22.
„ *βατραχειοῦς περιποίκιλος* . . . . . v. 23/24.
(„ *ἀνδρεῖος* . . . . . v. 26.)
„ *μεσαλουργής* . . . . . v. 9.
„ *χειριδωτός* . . . . . v. 10.
„ *παραλουργής* . . . . . v. 11.

In fragmentis praeter *χιτωνίσκον* illum *στύππινον* occurrunt *πλατυαλουργής, κτενωτός, ποικίλος, λευκός, βατραχειοῦς, κροκωτός.*

Digitized by Google

necesse est, si quidem *χιτώνιον* fere semper cum adiectivo quodam ad duplicitatem spectanti iungitur, nunquam contra hoc chitoni fit.

Ac primum quidem quanam re chitoniscus a chitone (et chitonio) diversus fuerit, facile ex deminutiva forma in *-ισκος* desinenti intelligitur, ut grammaticorum testimoniis brevem chitonem chitoniscum esse testantium bene carere possimus.[1] Et *ἐπένδυμα* non *ὑπένδυμα* chitoniscum titulorum esse purpuris et ornamentorum variorum creber usus docet (cfr. Benndorf. *Griech. und sicil. V.-B.* p. 43 n. 221). Inde etiam fit, quod talaria endymata, chitones et chitonia, rarius ornentur, quippe quorum partem haud exiguam chitoniscus superindutus tegat. Rem optime tibi illustrabunt Benndorf. l. s. t. 14, 25, 33; Gerhard. *A. V.-B.* t. 80, 82; *M. d. I.* III. t. 54: ubique habes chitoniscum pictum et limbis diversis saeptum, talarem chitonem omni ornamento carentem.

At num ita id quoque explicatur, quod numquam amorginum tamque raro stuppeum chitoniscum recensitum invenimus? Aio equidem; conicio autem alia de materie chitones et chitonia, de alia chitoniscos fuisse. Stuppei enim — sive de stuppa sive de lino impolito eos factos esse putas (cfr. Bluemner. *Terminol. und Technolog.* I. p. 182) —, certe linteis vestibus adnumerandi sunt; neque minus hoc de amorginis valet, qui ab omnibus fere grammaticis ut *λεπτότατοι* describuntur, *βύσσῳ* similes.[2] Itaque talares chitones linteos plerumque fuisse tibi fingas; eaeque, quarum mediocris erat condicio, stuppam viliorem lino ci tamen simillimam huic praeferebant, quae ditiores erant, amorginam h. e. exquisitam et tenuissimam texturam eligebant. Curatores autem hanc sibi regulam posuerunt, ut non nisi et viliorum solito et pretiosiorum materiem adnotarent, nil adderent, si materie solita, h. e. lino chitones et chitonia constarent. Chitonisci autem talaribus linteis superinduti non lintei ipsi quoque erant — qui enim tum tam pauci stuppei et, quod magis in ependymatis mireris, nulli pretiosiores, amorgini? — sed lanei! Scito igitur laneum chitonem brevem manicisque mox instructum mox carentem (*C. I. A.* II. 758 B II. v. 21. 22, 763 v. 10) mulieres Atticas tunc temporis frequenter gestasse atque hunc in sermone elegantiore *χιτωνίσκον* vocatum esse.

---

[1] Conferas Polluc. VII. 44. 45: *χιτὼν, χιτωνίσκος, χιτώνιον· ἐπεὶ καὶ ὁ ἐπενδύτης ἔστιν ἐν τῇ τῶν πολλῶν χρήσει, ὅστις βούλοιτο καὶ τούτῳ τῷ ὀνόματι βοηθεῖν φαύλῳ ὄντι, κτλ.* Probat ergo non *ἐπενδύτης* sed *χιτωνίσκος* vocem, cfr. Moer. p. 416. Pierson., qui sane *χιτωνίσκον „ὑποδύτην" ἑλληνικῶς* vocari affirmat. Denique cfr. Anecd. Bachmann. s. v. *χιτωνίσκους· κολωβίονας γυναικοπρεπεῖς. οὕτως Αἰσχίνης.*

[2] Cfr. Hermann-Bluemner. *Privatalterthuemer* p. 191 n. 1.

Digitized by Google

Venio nunc ad *χιτών* et *χιτώνιον*. Quorum ille nunquam duplex nominatur, cum hoc saepissime *διπλοῦς* adiectivum secum habeat. Qua cum re aliam quandam conferas. Nempe cum bis *χειριδωτὸς χιτωνίσκος* recenseatur, bis etiam *κατάστικτος χειριδωτός* (*C. I. A.* II. 754 v. 6; 758 B II. v. 7), nunquam ulla mentio manicarum in chitonibus et chitoniis fit. Unde sequeretur aut omnia manicis caruisse aut omnia eis instructa fuisse. Neutrum placet: frequens enim etiam in illius aetatis monumentis manicarum usus in talaribus chitonibus, frequenter tamen etiam deficiunt, praesertim si duplex est chiton. Videsne, quo tendam? Totum equidem inter *χιτών* et *χιτώνιον* discrimen in eo positum volo, ut ille manicis instructus fuerit, hoc illis caruerit: qui vero chiton manicas non habet, is duplicatus esse solet, inde tam saepe *χιτώνιον διπλοῦν*, neque unquam — in titulis quidem nobis servatis — *χιτὼν διπλοῦς*.[1] Infra enim videbimus iam ante illam aetatem in manicatis chitonibus apoptygmata magis magisque evanuisse (cfr. part. II. cap. 2 et 3). Iam vero cur bis expressis additur *χιτώνιον ἁπλοῦν* esse, cum quater omittatur? Sine dubio quia duo erant chitoniorum genera, quorum alterum modo duplex modo simplex esset, alterum simplex tantum esse soleret, ita ut *ἁπλοῦν* hic addere necesse non esset. Illius autem sunt chitonia plus minusve talaria supra proprium chitonem gesta — *ἡμιδιπλοίδια* huc trahenda —, huius ea quae in ipso corpore gerebantur. Nam cum materiei tenuitas alia endymata superinduenda posceret, neque tamen sub iis duplicari possent, quod mire quam incommodum fuisset, haec simplicia esse debebant. Illa contra certe rarissimo apoptygmate carebant, itaque *ἁπλοῦν* hic additur.

A chitoniscis simplicia illa chitonia supra proprios chitones gesta discrepabant materie et mensura. Quod haud certum esse canonem, quo usus facile in monumentis *χιτωνίσκους* et *χιτῶνας* dirimas,

---

[1] *C. I. A.* 754 v. 66 Koehlerus servatis literis *XITΩ* nil addidit nisi *N*, dubius, credo, utrum *χιτῶνα* an *χιτώνιον* scriberet. Collatis ceteris exemplis tu *XITΩ[νιον* scribe addasque e. gr. *ἀνεπίγραφον δι]ΠΛΟΥΝ*, quod numero literarum deletarum respondet.

Bis praeterea adiectiva *ἁπλοῦς* et *διπλοῦς* in titulis occurrunt, sed in locis tam mutilis, ut in censum vocari non possint. Legitur enim 754 v. 54/55 *ΠΑΡΑΛΟΥΡΓΙΑ . . ΝΧΙΤΩΝΙΣΚΟΥΑΠΛΟ ..... ΙΠΠΗΑΝΕΘΗΚΕΝ.* Possis explere *παραλουργίδιον χιτωνίσκου ἁπλοΥ ΚΑΛΛίππη ἀνέθηκεν*, possis vero etiam, ut Koehlerus fecit, *παραλουργίδιον χιτωνίσκου ἁπλοΥΝ ΞΕΝίππη ἀ.* Ubi alium ac solito sensum haberet *ἁπλοῦς*. (In eodem loco in titulo 756 nil legitur nisi - - - *ΛΑΟΥΡΓΙΑΙΟΝ* ..... I - - - -.). Dein 757 v. 25. 26 habes *ΠΕ- - - - -* (incertum quot literae exciderint) - - *ΤΟΝ ΛΙΠΛΟΥΝ*: *περιήγητος* utique non supplendum.

Digitized by Google

ne contra me hoc utaris. Etsi enim nos hodie interdum dubitabimus, utrum nomen adhibeamus: curatores Brauronii non dubitaverunt, credo. Nos hodie contenti erimus in universum constituisse, distinxisse eos inter *χιτωνίσκος — χιτών — χιτώνιον*, et quomodo fere distinxerint secuti sine dubio severioris sermonis usum.

Cuius usus in causam inquirere nunc nequeo; unum tamen admonere non praetermittam, id dico, quod similiter *χιτώνιον* forma adhibita mihi esse videtur, ac *διπλοίδιον*. Non id diploïdum genus *διπλοίδιον* vox significat, quod a mulieribus geritur, sed vestimentum externa quidem specie simillimum diploïdi, immutatum tamen et quod ad structuram et quod ad adhibendi rationem (consutum est in latere, endyma factum est). Sic *χιτώνιον* quoque non omnes muliebres chitones significat, sed chitonem, qui a ceteris manicatis et forma diversus erat et aliter adhibebatur (fibulae!). Ac formae illas diversitates nominis immutationem effecisse, neque ullius momenti fuisse hanc ad rem quod mulierum illae formae propriae factae sint, hoc unumquemque mihi concessurum esse spero.

Digitized by Google

PARS ALTERA.

I.

Quicunque in historiam vestitus Attici inquirere volet, ei proficiscendum erit a locis duobus hac in re classicis, Herodoti altero (V. 87 sq.), altero Tucydidis (I. 6), quorum ille de muliebri, hic de virili vestitu immutato agit.

Narrat autem Herodotus mulieres Atheniensium quondam hominem, qui unus ex expeditione contra Aeginetas suscepta incolumis redierit, prae ira fibulis vestium interfecisse. Athenienses autem, scriptor pergit, dicuntur *ἄλλῳ μὲν δὴ οὐκ ἔχειν ὅτεῳ ζημιώσωσιν τὰς γυναῖκας, τὴν δὲ ἐσθῆτα μετέβαλον αὐτέων ἐς τὴν Ἰάδα· ἐφόρεον γὰρ δὴ πρὸ τοῦ αἱ τῶν Ἀθηναίων γυναῖκες ἐσθῆτα Δωρίδα, τῇ Κορινθίῃ παραπλησιωτάτην· μετέβαλον ὦν ἐς τὸν λίνεον κιθῶνα, ἵνα δὴ περόνῃσι μὴ χρέωνται.* (88). *Ἔστι δὲ ἀληθέϊ λόγῳ χρεομένοισι οὐκ Ἰὰς αὕτη ἡ ἐσθὴς τὸ παλαιὸν, ἀλλὰ Κάειρα, ἐπεὶ ἥ γε Ἑλληνικὴ ἐσθὴς πᾶσα ἡ ἀρχαίη τῶν γυναικῶν ἡ αὐτὴ ἦν, τὴν νῦν Δωρίδα καλέομεν.* E verbis notatis, in quibus totius rei summam contineri facile vides, duplex quoddam efficitur, nempe chitonem Hellenicum illum, olim et ab Atheniensibus gestum, laneum fuisse — animadvertas enim adiectivi inter articulum substantivumque locum: *μετέβαλον ἐς τὸν λίνεον κιθῶνα* — et fibularum ope in corpore contentum fuisse. Priscum igitur Atticarum vestitum indagantibus nobis hoc testimonio nitendum est, quod et antiquissimum est et satis aperte loquitur, recentiorum scriptorum narrationibus hac de re praetermissis — Duridis,[1] Aeliani,[2] scholiastae in Clementis Alexandrini Paedagogum[3] — ne locupleti et

[1] Apud schol. Eurip. Hecub. v. 934.
[2] V. H. I. 18.
[3] II. 114 Dind. p. 238 Pott.

Digitized by Google

dilucido Herodoti testimonio isti obscuritatem obducant doctrinae incertis e fontibus haustae discrepantiis et vanitate.

Concessit autem benigne nobis fortuna, ut in vasculis Atticis Herodoto longe antiquioribus revera chitonem illum Hellenicum sive Doricum, ut Herodoti aetate audiebat, invenire possimus. In celeberrimo enim illo Clusiano vase, quod a Francoisio nomen accepit (*M. d. I.* IV. t. 54 sq.; inde *fig. 1* sumta), in Colchi vasculo nitido (Gerhard. *A. V.-B.* t. 122—123; cf. *fig. 5*), aliis et ipsis antiquissimis ut Gerhard. *A. V.-B.* t. 26, 61—62, 117—118, 119—120, de Luynes. *Description de quelques vases peints* t. 11, *Mus. Gregor.* II. t. 51. 2 conspiciuntur mulieres vestitae chitonibus manicis carentibus et instructis apoptygmate citra cingulum desinenti. Quos in humeris confibulatos esse docent laciniae illae semirotundae in humeris conspicuae, quae necessario existunt, ubi chitonis posticam partem supra anticae marginem tractam fibulis utramque configis.[1]



Fig. 1.

Chitonem illum respondere Herodoteae chitonis Dorici descriptioni apertum est. Revera eum esse tum demum

[1] Sunt sane illae laciniae paullo et maiores et aequabiliores in vase Francoisiano, nam experiendo facile intelliges, id quod confirmant diploïdum et diploidiorum in recentioribus monumentis repraesentationes, si vestis illic sic ut describitur configatur, lacinias nunquam in pectus usque descendere, nec plane rotundas esse sed magis in acutum exire. Sed haud scio equidem an in tam antiquo vase hoc quicquam valeat. Quid enim? nonne proprium hoc artis nascentis, ut singulas quasdam res non naturam imitata exprimat, sed contenta repraesentatione earum semel inventa, hac denuo semper utatur? Et consideres quaeso ea quae typico illo, ut ita dicam, modo in vasis antiquissimis pinguntur: oculos, cubita, genua, vestem in tergo humum verrentem, sinus illos parvos in chitonibus Corinthiacis (vid. part. II. cap. IV): omnibus fere id commune est, ut et exaggeratae sint formae eorum, et simul tamen aequabiliores multo, quam natura eas praebet. Omnino autem non minus facile plane rotundam illam laciniam fingi potuisse, quam e. gr. triangularem, intelliges lacinia in pluribus monumentis examinata: hic adlego nulla nisi Virgines Erechthei et Pacem Cephisodoti. Praeterea — id quod omnem dubitationem tolleret — indicasse mihi videntur Clitias et Ergotimus rugas fibulatione et in lacinia et in ipsa vesti effectas lineola illa, quam in Atalantae, Rhodiae, Moerae chitone vides (v. *fig. 1*).— Et quid hercle aliud laciniae illae significent vis? Scio, respondebunt nonnulli cum Gerhardio (*A. V.-B.* III. p. 140) esse humeralia quaedam aut fibulas curvata lamina instructas. At haec tantopere abhorrerent ab omni utilitate et simplicitate, ut abicias bono animo. Si vero de fibulis rotunda lamina instructis cogitant: qui tandem in hanc repraesentationem inciderunt pictores? Porro, quae tum lineolis supra commemoratis explicatio fiet? Denique ut contra hanc ita pro nostra sententia facit repraesentatio himatii mulieris apud Gerhard. *A. V.-B.* t. 111, alteri humero impositi; et hic laciniam illam habes, neque tamen de fibula cogitari potest.

Digitized by Google

pro certo habebimus, cum in vasis Atticis antiquissima illa aetate sequentibus alium chitonem in usum venientem paullatimque ab omnibus acceptum viderimus, qui aequo modo τῇ Ἰάδι Herodoti respondeat.

Nunc vero iam in ipso Francoisii vase alius quidam chiton occurrit — videas Dianae Persicae, quae vocatur, chitonem; superiorem partem reddit *fig. 2* —, qui ceteroquin priori simillimus, manicis tamen brevibus instructus est. Videsne? Fibularum in hoc usus nullus, materiei autem novae significationem qui in tam antiquo vase exspectabis? Num igitur hic Ionicum chitonem habemus?

Fig. 2.

Minime gentium. Multo magis discrepet necesse est Ionicus chiton a Dorico, tantopere discrepet, ut mulierum aspectus totus mutetur. Qui enim aliter tam diu memoria tenuissent Athenienses quondam alio chitone mulieres vestitas fuisse? qui aliter scriptores chitonis tum usitati barbaram originem statuere potuere? Tales autem chitones, quales Diana Persica in vase significato gerit, et externa specie simillimi sunt prioribus, et ex iis natura fere orti. Ac vel media quaedam forma inter priorem, fibulatam, et hanc, manicatam, in monumentis invenitur, nempe maschalota.[1] Exempla tibi sufficiant pauca: Minerva et Ariadne in cylice Glaucytis et Archiclis — desunt enim in humeris laciniae illae — (*M. d. I.* IV. t. 59), Leda in Exekiae amphora (*M. d. I.* II. t. 22 = *fig. 3*). Vel hic chiton satisfaceret Herodoteo „ἵνα δὴ περόνῃσι μὴ χρέωνται", sedtamen eum non esse Ionicum illum certissimum est. Quippe nihil aliud factum est, nisi quod fibularum in locum sutura venit. Itaque ne manicati illi quidem pro Ionicis habendi sunt, utpote orti e maschalotis assuta manica maschalae, nulla praeterea vestis parte immutata aut eiecta.

Fig. 3.

Quomodo autem a fibulis ad maschalen venerint Athenienses, multo melius intelliges, si, quae fuerit fibulatorum chitonum structura, perspexeris. Nam si Doricum chitonem mulierum vasculi cuiuslibet, cuius superficiei nigrae figurae illitae sunt, conferas

[1] Liceat mihi Graecis μασχάλη et μασχαλωτός vocibus uti, ne semper de foramine ad bracchium exserendum effecto loqui debeam.

Digitized by Google

cum eo mulierum recentioris vasis — rubris figuris instructi — haud ita leve discrimen statim animadvertes. Nempe cum hic in utroque latere apoptygma modo plus modo minus alte dependeat, illic inferior eius margo totum corpus recta quadam linea circumdare videtur. Iam cum dependulae illae in utroque latere laciniae efficiantur circuitu chitonis corporis circuitum multo superanti — relego te ad Weissii expositionem, *Kostuemkunde* II. p. 712, sequitur hoc saltem priscum illum Doricum chitonem non tanti circuitus fuisse. Sed ad discrimen illud explicandum hoc non sufficit; nam si totius vestis circuitus corporis vel tantum excederet, quantum ad bracchiis liberum exitum praebendum satis est, vel tum paullulum certe in lateribus altius dependere deberet apoptygma: cfr. Tragoediae chitonem apud Gerhard. *A. V.-B.* t. 56. Neque artifices hoc indicare omisissent, qui vel chitonem in tergo defluentem tam curiose — licet haud feliciter — indicent. Ut coniecerim priscos illos chitones Doricos alia fuisse structura quam recentiores. Ac formam eos habuisse credo cylindri ad corporis circuitum aptati et in superiore parte utrimque scissi ad bracchia exserenda. Quae structura ut pulcherrime convenit chitonibus ante Doricum usurpatis, qui corpus arctissime tamquam includunt,[1] sic optime explicat, quomodo in fibularum locum sutura succedere potuerit.

Fig. 4.

Quae omnia recte nos ratiocinatos esse eo comprobatur, quod in ipsis vasis nigris figuris instructis aut paullo recentioribus invenitur chiton, qui et Herodoteae Ionici chitonis descriptioni et condicionibus supra statutis omnibus numeris satisfaciat. Is est, qui vulgo Ionicus audire solet, et cuius in vasis nigris figuris instructis formam optime illustrat Gerhard. *A. V.-B.* t. 248. 3 (= *fig. 4*). Fibularum nullus in eo usus, nisi hic illic in manicis (Gerhard. *A. V.-B.* t. 97, 108. 2). Semper manicas habet mox longitudine mox amplitudine mox etiam utroque eas Doricorum chitonum superantes, cfr. Gerhard. *A. V.-B.* t. 112, 136; 141, 242. 1, 246. 2, 248. 3, 325. 2. Apoptygma semper deest. Summopere eius proprius est sinus — qui nunquam in Dorico chitone apparuerat — supra cingulum in ventrem dependens (Gerhard. *A. V.-B.* t. 31, 108. 2, 246. 2).

---

[1] Conferas caput IV.

Digitized by Google

Mire quantum inter externam huius et Dorici chitonis speciem intercedere, vel lippo apparet. Maxime diversa autem etiam indoles utriusque. Quid enim sinus ille aliud significat nisi chitonem iusta mensura longiorem esse? Ac plane idem uberis cuiusdam amplitudinis studium manicae produnt longae amplaeque. Et ipsam hanc amplitudinem non semel indicare conati sunt pictores, ut in vase apud Gerhard. *A. V.-B.* t. 31, 32, quod multo saepius certe fecissent, nisi impediti fuissent artis consuetudine et imprimis „rugarum et sinuum exprimendorum“ [1] imperitia. Doricum contra chitonem ubique arcte corpus circumdantem invenimus neque ulla in parte aut longitudine aut amplitudine luxuriantem. Videsis manicas, videsis apoptygma, quod nunquam cingulum transgreditur, cum in posteriore aetate mox magis magisque crescat. Denique addas materiem quoque illius chitonis novam fuisse neque adhuc in vestimentis adhibitam — quod hic illic expressisse artifices infra videbimus (cfr. Excurs. I) —, ut tibi persuadeas, quantopere a Dorico diversus fuerit. Quod denique ad chronologicas rationes, quas tamen in hac disquisitione non nimis valere illucet, satis habeo haec statuisse, quod cum ex Muelleri computatione (*Aeginet.* p. 72) expeditio illa Aeginetica circa Ol. 60 facta sit, Ionici chitones primi apparent in vasis archaïcis liberioribus h. e. sexto a. C. n. saeculo exeunte. Ut stet et ab hac parte sententia nostra.

Iam *ἀπορίαν* quandam solvam, quae iam diu fortasse te vexavit: nonne Herodotus fibulas Doricorum chitonum proprias fuisse scribit? Nos vero qui ante Ionicos assumtos Doricos manicatos ab Atticis gestos diximus? *Λύσις* in propatulo est. Nimirum is qui primus Ionicos chitones acceptos et atrox mulierum post Aegineticam expeditionem facinus, — quae fortasse tempore non multum distabant — aetiologice iunxit, is manicatos Doricos aut mala fide non in censum vocavit, cum fibulis confixi tantum convenirent narratiunculae, quam excogitaturus erat, aut omnino non novit, cum fortasse principalis tantum et primaria forma, quae est fibulata, oblivionem effugisset.[2]

---

[1] Huc accedit, quod Ionicus huius aetatis vestitus omnino nondum tanta amplitudine excellit, quanta is posterioris. Cfr. partis alterius caput II. extr.

[2] Spero fore, ut non iam sub Dorico chitone intelligatur diploïs illa, quam Briseïs e. gr. gerit (Gerhard. *A. V.-B.* t. 184) et Minervae statuae ad *Πάρθενον* recedentes, aut *χιτὼν σχιστὸς*, quem e. gr. in sarcophagis Romanae aetatis tam saepe invenis. Nam diploïdas vel certe vestimentum diploïdum simile pro chitone a virginibus tantum Lacedaemoniis gestas esse, infra videbimus; a mulieribus quoque — et Atticis quidem — gestatas esse unicus Duris perhibet (l. s.) aut certe perhibere

Digitized by Google

Pauca quaedam de cetero vestitu una cum Dorico chitone gestato addere mihi liceat.

Ac primum quidem notandum est apoptygma a proprio chitone solutum superulam quandam fieri. Nam cum haud raro coloris et ornamentorum diversitate efficiatur vel solitum apoptygma, quod in altero aut in utroque latere apertum est, non cohaerere cum chitone, saepissime illud clausum apparet et manicis aut maschale instructum. Tum vero cum chitone nullo modo coniunctum esse potest, immo proprium endyma factum est. Exemplo tibi sint Gerhard. *A. V.-B.* t. 266, 308. 2, 311. 1, *M. d. I.* III. t. 24; Dubois. *Introduction à l' étude des vases antiques* t. 38. Interdum ita corporis formis illud superindutum apoptygma se applicat, ut in eius mensuram consectum id esse putes: sic *M. d. I.* III. t. 24, *Coll. Berol.* 1733 *Fw.*, in signo fictili saltatricis apud Schoene, *Griech. Reliefs* t. XXXVII no. 145.

Fig. 5.

---

videtur, qui solito more *ἐπιτραγῳδῶν* haec refert: *πάντων δ' ἰδιαίτατον συνέβαινεν ἐπὶ τῶν Ἀθηναίων· οἱ μὲν γὰρ κόμας ἐφόρουν, αἱ δὲ γυναῖκες ἐκείροντο* (siccine?), *καὶ τοῖς μὲν ἀνδράσι ποδήρεις ἦσαν χιτῶνες, αἱ δὲ γυναῖκες ἐβρύαζον ἐν τῇ Δωρίδι στολῇ, διόπερ καὶ εἰς ἡμᾶς πολλοὶ τοὺς ἀχίτωνας δωριάζειν ἔφασαν.* Superstruat hisce, qui confuse fabulantem ab historiam scribente dignoscere non potest. Clemens Alexandrinus autem eiusque scholiasta perducti esse videntur narratione illa de muliere Spartana, quam additamentis subditiciis auctam accepere, et cuius genuinam formam habes apud Plutarch. Moral. p. 142 C. — *σχιστὸν* autem *χιτῶνα* Doricarum mulierum vestimentum fuisse nemo scriptorum veterum, quoad ego scio, perhibet. (Cfr. Mueller. *Dorier* II. p. 258 sq.). Homericum denique chitonem omnino a Dorico seiungendum esse post ea, quae in capite quarto huius partis disputaturus sum, intelliges. Pollux quod VII. 54 profert: „*ὁ δὲ σχιστὸς χιτὼν περόναις κατὰ τοὺς ὤμους διεῖρτο καὶ πόρπη κατὰ τὰ στέρνα ἐνῆπτο*“ nec tantillum valet, ipsius enim doctrina est, quam e locis nescio quibus prave intellectis construxit sibi. Cuius rei exemplum habuimus iam *πέπλον* eius (p. 17 n. 2), aliud videas c. 71: *λινοῦς χιτὼν, ὃν Ἀθηναῖοι πρότερον ἐφόρουν ποδήρη, καὶ αὖθις Ἴωνες* e loco Thucydidis notissimo (I. 6) effectum. Fortasse hic Sophocl. Trach. v. 924 sq. ante oculos habebat, quos ego in hac quaestione sciens praetermisi, quia mihi quidem ad chitonem in scaena tantum gestatum recedere videntur.

Digitized by Google

Praeterea aliud quoddam ependyma priscus ille doricus vestitus novit, quod formae et rationi Dorici chitonis optime convenit, nempe plane Dorici chitonis in modum confectum in media fere crura descendit aut clausum in latere altero aut apertum. Ac sunt hae fere formae eius:

Fig. 6.

Fig. 7.



Fig. 8.

I. circum clausum est:
   1. apoptygma apertum (Gerhard. *A. V.-B.* t. 122—123 = *fig. 5*)
   2. „ clausum („ „ t. 121 = *fig. 6*)

II. in altero latere apertum est:
   1. apoptygma apertum (Gerhard. *A. V.-B.* t. 13 = *fig. 7;* 55)
   2. „ clausum („ „ t. 266 = *fig. 8*)

III. in antica parte apertum est (?).[1]

---

[1] Interrogationis signo scissuram in antica parte significavi, quia exempla omni dubitatione exemta non inveni. Nam licet *É. C.* I. t. 54, 60, 89, *Mus. Greg.* II. t. 27. 2a apoptygma in antica parte apertum pictum sit: cetera superularum illarum pars (a cingulo ad pedes) ita picta est, ac si in latere scissa sit — scis enim etiamsi corpora a collo ad cingulum ex adversa parte repraesentantur, tamen inde a cingulo a latere fingi. Debebat autem artifex in exemplis supra allatis vestem in inferiore corpore ita fingere, ut Gerhard. *A. V.-B.* t. 140 (Maenadis ante curriculum chitonem dico), *É. C.* I. t. 62 (Minervae nascentis superulam): hic autem rursus apoptygma in latere scissum est. Ego quid statuam non habeo: attamen haud scio an pictoris aut negligentiae aut libidini scissas in antica parte vestes tribuere possimus.

Omnino nulla praeter ea quae attuli indumenta gesta esse non contenderim: hoc tamen certissimum plane diversae formae, et quae non concineret ceterorum rationi, nulla in usu fuisse. Dorici chitonis forma se continebant, quam hic illic

Digitized by Google

Iam indumentis tractatis transeamus ad periblemata Dorici vestitus, si chitonis nomen in totum vestitum extendere licet. Ac quamquam non ut chitones sic etiam himatia Dorica et Ionica discerni possunt, tamen habet Doricus certe vestitus periblema quoddam, quod eius proprium sit, et quod Ionico chitone recepto paullatim ex usu venit. Nam quoad ille unus in usu est, himation a tergo utrique humero iniciunt, ita ut ab utroque lacinia modo longior modo brevior in anticam corporis partem dependeat, ceterum himation in postica ad crura usque defluat. (Videas *fig. 9* petitam eam ex Heydemann. *Griech. V.-B.* t. 6. 4.) Ionico autem chitone geri incipiente himation laevo humero impositum et dein modo sub modo super dextrum humerum circa corpus ductum laevo rursus imponitur, nota quae est et Hellenica himatii gerendi ratio. Quae cum hucusque viris tantum decora fuisset (conferas praeter exempla infra allata imprimis Glaucytis et Archiclis cylicem *M. d. I.* IV. t. 59), tunc a mulieribus quoque accepta est. Quod utrum cohaereat cum novi chitonis natura, vix dici potest. Cogites materiem eius minus crassam quam Dorici suasisse, ut corpus magis, quam adhuc fieri soleret, involverent. Fortasse etiam cum longae eius manicae bracchia tegerent, prius nunc a se impetrare potuere mulieres Atticae, ut dextrum bracchium humerumque dextrum oculis virorum exponerent, quae, ut laeva, antea dependulis illis in latere laciniis optime involvebantur. Sed utut res sese habet, plane eodem modo ut Ionicus chiton sic etiam nova amictus ratio nusquam occurrit in vasis antiquissimis, creber fit iam in vasis archaïcis liberioribus. Videas vasa Clitiae et Ergotimi, Xenoclis (Raoul-Rochette, *Monum. inéd.* t. 49), alia antiquissima ut *É. C.* I. t. 65 A, II. t. 36. D, III. t. 16; Gerhard. *A. V.-B.* t. 26, 129. 2, 205. 3, 233, 324. 2; *M. d. I.* III. t. 44, IX. t. 55; denique Heydemann. *Griech. V.-B.* t. 6. 4 (cuius vasculi Thetin, quia praeter cetera hic dilucida repraesentatio himatii *fig. 9* repraesentandam curavi): ubique priorem formam habes. Alterius contra quae poteram indagare antiquissima exempla sunt Gerhard. *A. V.-B.* t. 111, 141, 211—212, 214. Neque tamen ut Doricus chiton sic etiam periblema cum eo gestum

Fig. 9.

fortasse leviter immutabant: ipse te admoneo exigui illius panni ab humeris dependentis, quem habes e. gr. Gerhard. *A. V.-B.* t. 125, 266; *É. C.* I. t. 54, insolitae dein apoptygmatis formae quae invenitur Gerhard. *Etrusk. und kampan. V.-B.* t. 13.

Digitized by Google

omnino ex usu eicitur. Immo, non solum Ionico vestitu regnante geritur, sed vel in Periclea aetate adhuc vivit: iam hic enim significare mihi liceat, ultima eius vestigia in amiculis Atticarum virginum nos tenere (cfr. zophori Parthenonis virgines, Virgines Erechthei, Pacem Cephisodoti, tot ectyporum figuras muliebres).

Atque hoc loco paullum in virilem habitum egrediar, ut, si fieri potest, pauca quaedam adhuc neglecta in lucem protrahantur. Viri enim in antiquioribus vasis eodem quo mulieres amictu uti solent, eum dico, ut utrique humero a tergo himation iniciatur. Ac duas formas himatia eorum habent: aut larga magnaque sunt, iis mulierum similia, aut longa quidem at angusta amicula quaedam; [1] illorum exempla infra collecta videas, haec invenis *M. d. I.* III. t. 24; Heydemann. *Griech. V.-B.* t. 6. 4 (huius est Peleus, quem *fig. 10* reddit); *A. Z.* XXVI. 1868 t. 10. Quomodo autem nova amictus ratio paullatim magis in usum veniat, hoc exponere nunc supersedeo. Quamquam ne recentioris originis, Ionici fortasse, sicut Ionicum chitonem, eam habeas, moneam iam in antiquissimis monumentis Laconicis eam occurrere, a viris scilicet adhibitam — mulieres enim hic ut in Atticis monumentis antiquissimis a tergo iniectum himation gerunt. Sic res se habet in stelis illis Spartanis (*Mittheil. des archaeol. Institt.* II. 1877 t. 20 sq.), in lorica in Alpheo reperta (*Bullet. de corresp. hellén.* VII. 1883 t. 1—3), in tabulis illis figlinis Corinthiacis (*Coll. Berol.* 347, 348, 368, 370, 476, 479 *Fw.* Virum et mulierem (Neptunum et Amphitritam) simul habes 493, 495 *Fw.* Vir quoque a tergo iniectum corpori himation gerit 485 *Fw.*). — Paucis autem demonstrem, quam diu prior illa ratio usu retenta sit. Amicula enimilla, cum acceptus esse inciperet circumiciendi himatia mos, ipsa quoque circumiciebantur: Gerhard. *A. V.-B.* t. 13, 14, 61, 117, 113. 3, 125; Schoene, *Antichità del Museo Bocchi di Adria* t. 15. Hoc vero more mox abiecto rursus utrique humero imposita ea gerebant. Sed cum

Fig. 10.

[1] Quod iam Helbigius animadvertit (*Das hom. Epos aus den Denkmälern erläutert*, Leipzig 1884 p. 122) qui rectissime: „*die korinthischen, chalkidischen und altattischen Vasenbilder zeigen einerseits einen kurzen, schmalen der Chlaina entsprechenden Ueberwurf, daneben aber umfangreiche - - Mäntel, die ein Jonier des homerischen Zeitalters φᾶρος oder δίπλαξ benannt haben würde*". Cfr. et not. 9 eiusdem paginae.

Digitized by Google

antea et senes et viri et adulescentes ea gessissent, nunc ab iis tantum gestari solebat, quibus expedito vestitu opus esset aut qui eo gauderent: adulescentes et pueri igitur (Gerhard. *A. V.-B.* t. 182, 217),[1] milites (Gerhard. *A. V.-B.* t. 150, 168. 1, 169. 1, 187, 189),[2] venantes et iter facientes[3] (Gerhard. *A. V.-B.* t. 327—328. 1, 160), commissantes (Gerhard. *A. V.-B.* t. 188. 2, 195—196) eo utuntur.[4] — Maiorum himatiorum hoc modo gestorum ultima exempla vasa rubris figuris instructa severiora praebent: Gerhard. *A. V.-B.* t. 273, 295—296, 1; *M. d. I.* VI. t. 22, IX. t. 46, X. t. 23, 24. 2; Schoene, *Mus. Bocchi di Adria* t. 8. 1. Spero vero fore ut desinant nunc „chlamydas" amicula illa et periblemata vocare. Aeque bona himatia sunt maiora illa, atque ea quae hoc nomine nunc designari solent, et chlamydis nomen in eo vestimento tantum usurpandum est, quod in dextro humero aut in pectore confibulatur. Amiculum illud Pollucis Lucianique aetate ἐφαπτίς audisse videtur; quomodo quinto sextove saeculo vocatum sit, nescio. Postremo unum quin stringam facere non possum: ad sexum „mulieris in currum ascendentis" ectypi nobilissimi Attici definiendum periblematis formam nil valere vincunt ea quae modo disseruimus.

---

[1] Quia solita epheborum vestis est, consueverunt id vocare „Ephebenmaentelchen".

[2] Inde Minerva in amphoris Panathenaïcis tam saepe supra arma id habet: cfr. *M. d. I.* X. t. 47a sq. Quod minime cum Minervae Itonicae simulacro cohaeret — ut placere videtur De Witteo *Ann.* 1877 p. 312 —, nam et in ceteris vasis iisque antiquissimis saepenumero Minerva armata id gerit (e. gr. Gerhard. *A. V.-B.* t. 6, 114, 151, 174—175), neque illae laciniae θετταλικαὶ πτέρυγες sunt, πτέρυξ enim vestis quid sit, supra (p. 16 not. 1) exposuimus.

[3] Sic in statuaria arte Mercurius haud raro pro unico velamento id habet, cfr. Clarac. *Musée de sculpture* 656. 1511a, 659. 1517. 1523. 1520, 663. 1539 etc.

[4] Ceterum, cum in vasis antiquissimis mulieres nunquam fere parva illa amicula gerunt, Ionico vestitu regnante et haec accipiunt. Gerunt ea virgines Gerh. *A. V.-B.* t. 168. 2, Victoria ib. t. 151, mulier coronam tenens ib. t. 176, Nausicaa et puellae ib. t. 218. — E vasis nigris figuris instructis adlego Gerhard. *A. V.-B.* t. 90, 112, 227.

Reliqua propediem apud Hermannum Boehlau prodibunt.

Digitized by Google

VITA.

Henricus Ioannes Boehlau natus sum Halis Saxonum Prid. Cal. Oct. a. 1861 patre Hugone matre Luisa e gente Schwabe, quorum adhuc superstitum amore fruor et consilio. Fidem profiteor evangelicam. Elementa literarum et in domo paterna doctus sum et in ludo literario Rostochiensi: Halis enim pater Gryphiam primum, mox Rostochium vocatus erat. Autumno a. 1869 gymnasium eiusdem urbis adii, cuius discipulus per decem fere annos fui, per biennium disciplina egregia Sigismundi Krueger, viri humanissimi, usus. Maturitatis testimonio instructus vere a. 1879 inter cives almae literarum sedis Rostochiensis receptus sum, studiis philologicis et archaeologicis operam daturus. Bis sex mensibus post Bonnam petii, ubi annum unum et semis versatus Rostochium redii. Hic tria deinceps semenstria studiis incubui. Novissimum denique annum Virceburgi degi, quo interim parentes transmigraverant.

Docuerunt me viri doctissimi Foerster, Fritzsche, Kaibel, Koerte, Fridericus Philippi, Schirrmacher, de Stein Rostochienses, Bernays, Buecheler, Renardus Kekulé, Leo, Luebbert, de Richthofen, Schaaffhausen, Usener Bonnenses, Georgius Schanz Virceburgensis. Ut interessem exercitationibus archaeologicis benigne concesserunt Foerster, Kekulé, Koerte; philologicis Foerster et Kaibel. Proseminarii Bonnensis adeundi copiam mihi fecere Leo et Luebbert. Kaibelii et Fritzschii erga me benevolentia factum est, ut reciperer in seminarium philologicum Rostochiense, cuius sodalis per ter sex menses fui.

Quibus viris omnibus optime de me meritis, inprimis vero, cui dicare huncce libellum licuit, Gustavo Koerte, praeceptori, summas gratias habeo semperque habebo.

Digitized by Google

Aulae Wimariensis officina typographica.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AH 4848.11
Quaestionum de re vestiaria Graecor
Widener Library 004512724
3 2044 080 861 552

Digitized by Google